

EXERCITIA

SPIRITVALIA

S. P.

IGNATII LOYOLAE

CVM SENSV EORVMDEM EXPLANATO

ET DIRECTORIVM

AVCTORE

P. IGNATIO DIERTINS S. I.

EDITIO II. TAVRINENSIS

VOL. II.

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS HYACINTHI MARIETTI
AN. M. D. CCC. XXXVIII.

EXERCITIA
SPIRITVALIA
S. P. IGNATII LOYOLAE

CVM SENSV EORVMDEM EXPLANATO

ET DIRECTORIVM

ADDITIS TRIBVS APPENDICIBVS

AVCTORE

P. IGNATIO DIERTINS S. I.

EDITIO NOVISSIMA
POST V. ANTVERPIENSEM AN. M. DC. XCVI.
AB AVCTORE RECOGNITAM ET AVCTAM

VOLVMEN II.

CONTINENS APPENDICES TRES AD EXERCITIA



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPOGRAPHEO HYACINTHI MARIETTI
AN. M. D. CCC. XXXVIII.



EDITOR TAVRINENSIS

LECTORI

De praestantia Explanationum, quas Ignatius Diertius contextui Exercitiorum subiecit, nihil nobis duximus esse dicendum in volumine praecedenti: quia et satis notae sunt ob multas quas numerant editiones, et intelligentium iudicio probatissimae. Tres vero eiusdem Appendices cum rarius et seorsim in lucem prodierint, idque temporibus ab aetate hac nostra remotis, operae pretium visum est aliqua de illarum utilitate praefari, ut habeant veluti commendationem ad illos in quorum manus nunc primum pervenerint.

Ac primae quidem Appendicis inde se prodit utilitas, quod cum tot exhibeat Meditationum et Lectionum Ordines varie pro variis hominum necessitatibus efformatos, ubique tamen cum Libro Exercitiorum consentit. Neque dicas haud multum habere difficultatis aliquid eiusmodi sibi aut aliis concinnare, in tanta praesertim auctorum copia qui opus illud praeclarum exponendum susceperunt. Illud enim plane constat, pauciores, quam videri potest, vera et germana nobis Exercitia dedisse. Ceterum illi etiam, qui

S. Patris Ignatii mentem felicius sunt assequuti, unum tantum praeseferunt ORDINEM, quem nemo nisi peritissimus ad omnes animi status prudenter aptabit.

De altera vero Appendice hoc sane praetermittendum non est, Auctorem nostrum multa ex Directorii Capitibus I. et IX. in illam derivasse. Sed non ideo de ipsius existimatione atque honore quidquam detrahitur. Cui enim non magnopere probetur, tam firmo inniti fundamento, quae ibi de excolendis hominibus externis per Exercitia traduntur? Deinde, quae Directorium generatim praecipit, singulis se se exercentium classibus noster Auctor accommodat: adeoque methodus exsurgit, quo facilior eo etiam utilior, ut fructum quo maxime indiget quilibet hominum ordo consequi possit.

Tertiam denique Appendicem non multum interesse illius, qui Librum Exercitiorum apprime calleat, libenter fatemur. Etsi quotus quisque invenitur qui id sibi audeat arrogare? Ceteris vero non aeque aurei illius Libri intelligentibus valde profuturam esse nemo inficiabitur, qui Auctoris, ut aiunt, scopum recte perpenderit. Quid autem propositum habuerit, ipsemet in prooemio declarat: eas nimirum Meditationes, quas S. Pater Ignatius tantummodo attingit, enucleatas exhibere, ut ipsas, si ferat occasio, usurpent nostri in menstruo vel octiduano secessu, aut etiam, qui praecipuus eius est finis, habeant quid quaque die per anni cursum meditentur. Id vero dum Auctor noster exequitur, nulla ferme est Exercitiorum pars ad quam

non remittat, nulla quam non saepius data opportunitate retractet, aut sedulo recolendam esse praescribat. Quamobrem illud iure merito dici potest, vix aliud opus de hac re fuisse hactenus exaratum, quod tam facile tantoque cum fructu ad omnimodam Exercitiorum cognitionem deducat.

Haec erant, quae a nobis altera pars operis Diertiniani ab ipso initio postulabat. Tu interim illa utere feliciter, et vale.

MONITA TRIA

IN SEQVENTES APPENDICES

I.

In hisce tribus quae sequuntur Appendicibus, quoties citabitur liber Exercitiorum vel Explanationes vel Directorium, id semper intelligendum est de praecedenti volumine huius nostrae editionis, in quo ea omnia continentur.

II.

Ubi prima Appendix notat Meditationes esse desumendas ex tertia, consulatur eiusdem Index ad calcem huius secundi voluminis, quem habes in quatuor Hebdomadas distributum, pagina cuique Meditationi assignata.

III.

Cum duae vel plures ex Appendice tertia indicantur Meditationes, scias non eo indicari consilio, ut omnes singillatim peragantur vel ut contrahantur in unam, sed ut sibi quisque eam deligat, ex qua uberiorem fructum se percepturum esse confidat.

APPENDIX I.

QVAE COMPLECTITVR

SEX ORDINES

MEDITATIONVM ET LECTIONVM

PRO

EXERCITIIS OCTO DIERVM

ET

TRES ORDINES

PRO

EXERCITIIS TRIGINTA DIERVM



PROOEMIVM

AD RELIGIOSOS SOCIETATIS

QVI HISCE ORDINIBVS VTENTVR

Cum *tertia* Explanationum editio Posnaniae anno M. DC. XCII. finita esset, rogati sumus ut adiiceremus Ordinem quemdam *Meditationum et Lectionum* pro Exercitiis *octiduanis*. Adiecimus tunc quidem ad *tertiam* et *quartam* editionem. Nunc autem, dum editio *quinta* sub praelo est, cum rogemur a nonnullis ut similem ordinem addamus pro Exercitiis *menstruis*, eorum votis APPENDIX haec PRIMA satisfaciet, quae, praeter SEX ORDINES PRO EXERCITIIS OCTO DIERVM tertiae et quartae editioni adnexos, TRES insuper ORDINES PRO EXERCITIIS TRIGINTA DIERVM continebit. Quoniam vero tam in Meditationibus quam in Lectionibus pro utraque Ordinum serie aliqua observanda occurrunt, ea duobus sequentibus paragraphis absolvemus.

§. I.

DE IIS QVAE CIRCA MEDITATIONES OBSERVANDA SVNT

I.

DE VARIA MEDITATIONVM DISTRIBVTIONE

In hisce Ordinibus disponendis usi sumus libertate, quam concedit S. P. N. ei qui exercetur, tum in *Monito* immediate post Colloquium ad Exercitium v. Hebdomadae primae (*Lib. Exerc. pag.* 102.), tum in

Notando post Mysteria secundae Hebd. (*Ib. pag.* 160.), tum denique in *Subnotando* post Mysteria tert. Hebd. (*Ib. pag.* 202.). Hinc est, quod Exercitiis primae Hebdomadae, praeter Meditationes a S. P. N. assignatas, alias adiungere non inutile putaverimus. Quod autem ad Exercitia pro ceteris Hebdomadis, satius duximus interdum plura uno eodem die Mysteria meditanda exhibere, nulla adhibita super his vel repetitione vel sensuum applicatione, interdum hanc vel illam vel utramque simul instituere super uno vel duobus Mysteriis, interdum etiam in Repetitionum usu tantum insistere. Ordinibus ita dispositis, id certe boni quisque ex variis se se Exercentium Classibus percipiet, ut per usum unius vel alterius Ordinis inveniat quod iuxta temporis facultatem et animi sui dispositionem *sibi* (quae verba sunt ipsius S. P. N.) *conducibilius fore censuerit.*

2.

DE FACVLTATE MVTANDI ORDINES

Damus praeterea non unum Ordinem tantum, sed aliquot ex pluribus qui formari possent, ut Exercitiis vacaturus habeat delectum: aliquando enim materiae huius Hebdomadae, aliquando alterius iuvabit diutius inhaerere. Poterit autem unusquisque non solum Ordinem iam electum immutare ad gustum suum, alias ex assignatis Meditationibus iterando, alias omittendo, vel assignatarum meditationum loco alias mutuando ex aliis Ordinibus ad eamdem Hebdomadam spectantes, vel totum assumptum Ordinem ad statos pluresve dies protrahendo; sed etiam Ordinem inceptum cum alio commutare, quoties id ad proprium profectum conferre iudicaverit.

3.

DE NVMERO TEMPORE ET MATERIA MEDITATIONVM

Insuper ad mentem S. P. N. *quinque* quotidie assignamus Meditationes, de quo numero agit etiam *Directorium Cap.* III. § 7. *et* 8. Quod si iustis de causis *quatuor* tantum meditationes fieri expediat, tunc ex assignatis pro singulis diebus cuiusque Ordinis illa omitti poterit, quam praefixus asteriscus (*) denotabit.

Circa *temporis distributionem* nihil dicemus, cum quisque hanc sibi formare possit iuxta suum vivendi morem.

Quod ad *materiam Meditationum* attinet, eam brevissime indicamus, ac ubi quaerenda sit semper adscribimus, vel per paginam tantum, quoties ex *Libro Exercitiorum*, vel per Hebdomadam et numerum Meditationis, quoties ab *Appendice tertia* desumenda erit.

§. II.

DE IIS QVAE AD LECTIONES PERTINENT

I.

DE LECTIONIBVS ANTE INITIVM EXERCITIORVM

Primo legatur *Explanatio* ad titulum Annotationum viginti (*Lib. Exerc. pag.* 45. *num.* 1.) cum *Annotationibus* et locis *Directorii* ibidem citatis.

Item legenda *Prolegomena* ad Exercitia, scilicet Explanatio *de partibus libelli Exercitiorum* (*Lib. Exerc. pag.* 19.): potissimum tamen considerandus § II. *de ceteris partibus libelli Exercitiorum* (*ibid.*

pag. 20.): item § III. *de modo utendi libro Exercitiorum* (*ibid. pag.* 21.), et § IV. *de modo meditandi* (*ibid. pag.* 24.), cui adiungi poterit *Specimen* Meditationis integrae positum in fine omnium Explanationum (*ibid. pag.* 349.).

Legatur item *Explanatio* ad Annot. XII. ex viginti (*Lib. Exerc. pag.* 58. *num.* 1.) et ad *Notandum* quod sequitur tertiam Contemplationem Hebd. secundae (*ibid. pag.* 131. *num.* 1.), in quibus agitur de tempore Meditationum non minuendo, et de materia Mysteriorum non mutanda.

Cum vero in quovis ex designatis Ordinibus locus interdum detur exercitiis Repetitionis vel Applicationis sensuum, ut utrumque suo tempore recte fiat, proderit multum, antequam Exercitia spiritualia inchoentur attente legere quae de *Repetitione* habentur in *Libro Exercitiorum* (*pag.* 96., *et* 158. *num.* 1.), et in *Directorio* (*Cap.* XV. § 2. *et* 3.), nec non quae de *Applicatione sensuum* traduntur in *Libro Exercitiorum* (*pag.* 98. *et seqq.*, *item* 133. *et seqq.*), et in *Directorio* (*Cap.* XX. § 1. 2. 3. *et* 4.).

Denique iuvabit his adiicere *Prooemium Directorii*, saltem usque ad § 10. exclusive. Item ex *Cap.* X. § 7. *et* 8. *de modo tradendi nostris Exercitia*, in quibus est sermo de materia reformationis, et de examine obligationum status, ac de cognitione sui: propter quod Examen non est mutanda series neque Mysteriorum neque quinque vel quatuor Meditationum integrae horae, ut alibi monuimus (*Lib. Exerc. pag.* 131. *num.* 1.). Praestat etiam legere secundum *Notandum* positum in 1. Ordine pro Exercitiis XXX. dierum Hebd. II. die V. Posset insuper addi eiusdem *Directorii Cap.* XXXIX. *de tribus viis.*

2.

DE LECTIONIBVS TEMPORE EXERCITIORVM

Ad Lectiones quod attinet Exercitiorum tempore peragendas, non omnia in unum contulimus, sed utilius putavimus suas cuique Meditationum ordini Lectiones assignare: quae ita accipi debent, ut ad quamlibet seriem Meditationum singulae Lectiones adhiberi, commutari, permisceri etiam inter se possint. Illud tamen sedulo cavendum est, ne quid omnino legatur, praesertim in Exercitiis secundae, tertiae, et quartae Hebdomadae, quod non prorsus conveniat cum Mysterio cuius Contemplationi proxime vacandum erit, ne consideratio unius Mysterii impediat considerationem alterius (vide primum ex v. notandis Hebd. ii. *Lib. Exerc. pag.* 136.). Ab Explanationibus vero paucas tantummodo Lectiones, occasione oblata, attingimus: tum quia, dum aliquid legendum ex ipso Exercitiorum Libro praescribimus, Explanationes simul iunctae legendae sunt; tum quia ceterae Explanationes, perinde ac ipse Exercitiorum Liber, nobis saepe per anni decursum lectae et memoriae quodammodo mandatae esse deberent. Id vero prae ceteris curandum est, ut, diligenter legendo Librum Exercitiorum, illum (iuxta *Reg.* vii. *Sacerdotum*) nobis VALDE FAMILIAREM REDDAMVS, quin potius (iuxta *Reg.* iv. *Praefectorum rerum spiritualium*) FAMILIARISSIMVM habeamus : commendatur enim ipsis ut ad id operam dent.

Ceterum, qui accurate Exercitiis incumbit, is multa lectione ne se fatiget, praesertim si Sacerdos sit: immo lectionis loco (quod nonnumquam bene erit), extra Meditationis horas, quartam vel mediam horae par-

tem sibi assumat, ut status et muneris sui Regulas examinet. Id vero praecipue curandum, ut Exercitia Meditationum, quae singula (ut ostendimus ad xii. *Annotationem* ex viginti, *Lib. Exerc. pag.* 58., et in Explanatione ad *Notandum* post tertiam Contemplationem Hebdomadae secundae, *ibid. pag.* 131.) integram horam requirunt, recte cum omnibus Additionibus peragantur. Sapientissime itaque monet S. P. N. post Contemplationem de Regno Christi (*Lib. Exerc. pag.* 118.), quod *utile fuerit* ALIQVID SVBINDE *legere*. ALIQVID, inquit, non multa: SVBINDE, non perpetuo et contento cursu. Non igitur omnia quae proponimus legenda erunt, sed decernenda haec vel illa, pauciora vel plura, prout ad praestitutum finem videbitur convenire.

Possent denique ex aliis Libris Lectiones desumi, ut patet ex verbis S. P. N. post Contempl. *de Regno Christi* (*Lib. Exerc. pag.* 118.), et ex *Directorio* (*Cap.* III.). Hoc autem semper curandum, ut Liber sit *eiusmodi*, *qui pietatem potius nutriat*, *quam intellectum novitatibus exerceat*, sicut loquitur *Directorium* (*Cap.* XXI. § 2.), quem locum iuverit legere.

Id etiam addere non omittam, quod si ex Vitis Sanctorum quis legere velit, illae ceteris praeferantur, quae Virorum Societatis praeclara virtutis exempla narrant, quaeque proinde Nostris magis accommodatae videntur.

3.

DE LECTIONIBVS POST FINEM EXERCITIORVM

Semper in unoquoque Ordine legendum Cap. XL. Directorii *de iis, quae commendanda sunt ei qui absolvit Exercitia*, cum Explanatione quae habetur in fine Libri Exercitiorum (*pag.* 341.). Item Directorii Cap. I. *quomodo inducendi sint homines ad Exercitia.*

Praeterea est etiam legenda APPENDIX SECVNDA *de modo tradendi Exercitia hominibus externis.*

Denique tota materia Electionis sedulo revolvenda esset, si tempore quo Exercitia agebantur lecta non fuerit, sicut notavimus in prima Explanatione (*Lib. Exerc. pag.* 20.) § II. *de partibus libelli Exercitiorum.*

SEX ORDINES

PRO

EXERCITIIS OCTO DIERVM

NOTANDVM

Priusquam Exercitia spiritualia inchoentur, quicumque ex sequentibus Ordinibus eligatur, iuvabit semper attente legere, imo accurate perpendere, ipsorum Prooemium primae huic Appendici praefixum.

PRIMVS ORDO

Meditationes quae in hoc Ordine assignantur sunt *duae* de FVNDAMENTO, *tredecim* ex prima, *quindecim* ex secunda, *quinque* ex tertia, *et quinque* ex quarta Hebdomada. Lectiones petuntur ex ipso *Libro Exercitiorum*.

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO. *Lib. Exerc. pag.* 71.
II. De eodem. Iuxta *Direct. Cap.* x. § 5.
III. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.
IV. Repetitio super praecedenti Meditatione, cum triplici Colloquio, de quo *Lib. Exerc. pag.* 96.
* V. Repetitio altera praecedenti penitus conformis. *Ibid. pag.* 98.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Examen particulare, pag.* 74., *et generale, pag.* 77. *et* 83. *Additiones, pag.* 103., etiam *decima*, quia inchoata est prima Hebdomada: vide *Direct.* Cap. xv. § 8.

SECVNDA DIES

MED. I. De peccatis. *Lib. Exerc. pag.* 93.
II. Repetitio super praecedenti Meditatione cum triplici Colloquio. *Ibid. pag.* 96.
III. De Inferno. *Ibid. pag.* 98.
IV. Repetitio super praecedenti Meditatione.
* V. Repetitio praecedenti penitus conformis.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Annotatio* IX. inter viginti *de usu primarum Regularum ad discernendos spiritus*, *pag.* 56. Item Regulae primae *ad discernendos spiritus*, *pag.* 303., quibus addi possunt Regulae *de scrupulis*, *pag.* 329.

TERTIA DIES

MED. I. De poenis peccati in Lege naturae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 6.
II. De miseriis corporis in poenam peccati. *Ibid. Med.* 7.
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum triplici Colloquio, de quo *Lib. Exerc. pag.* 96.
IV. De morte. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 8.
* V. Repetitio super praecedente Meditatione.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Confessionis Generalis et Communionis usus*, *pag.* 84., *et Direct. Cap.* XVI.

QVARTA DIES

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
* III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
IV. De Incarnatione. *Lib. Exerc. pag.* 119.

V. Repetitio super praedicta Meditatione.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Additiones*, sive *Notanda* secundae Hebdomadae, *pag.* 136., cum Explanatione *de punctis Meditationum*, *pag.* 127. (*Quia S. P. N. etc.*). Praeludium *de Statibus*, *pag.* 143. *et seqq.*

QVINTA DIES

MED. I. De Nativitate. *Lib. Exerc. pag.* 124. *et* 253.

II. De Pastoribus. *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 15. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV Repetitio praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex *Libro Exercitiorum. Praeludium* ad Electionem faciendam, *pag.* 170. *Introductio* ad eligendarum rerum notitiam, *pag.* 171. *De tempore* triplici ad Electiones, *pag.* 174. *Annotatio* x. inter viginti, *pag.* 57. Regulae secundae ad *pleniorem spirituum discretionem*, *pag.* 313.

NOTANDVM. Circa exercitium Electionis pro Nostris, vide infra quod positum est in I. Ordine pro *Exercitiis* XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

SEXTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super eodem Exercitio.

* IV. Altera Repetitio praecedenti penitus conformis.

V. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.

NOTANDVM. Hodie iuverit *per totum diem revolvere* tres Modos Humilitatis, *Lib. Exerc. pag.* 163., et Colloquia, *ibid. pag.* 151., veluti in Sacro, Horis canonicis, aliisque precibus, eas dirigendo ad impetrandum id quod per Colloquia optamus.

LECT. Ex *Libro Exercitiorum. Modus* prior et posterior eligendi, *pag.* 179. *et* 185. Item *de reformatione status, pag.* 187.

SEPTIMA DIES

MED. I. De Mysteriis post coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 197. *et* 278., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4 *et seqq.*

II. De condemnatione et crucifixione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 286., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 22. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Altera repetitio praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex *Libro Exercitiorum. Notanda* quatuor in hac Hebdomada, *pag.* 199. Item Explanatio *de tribus punctis superadditis* in hac Hebdomada, *pag.* 192. *num.* 1. Regulae *de victu, pag.* 204.

OCTAVA DIES

MED. I. De Christi Resurrectione et Apparitione prima. *Lib. Exerc. pag.* 210. *et* 290., et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med. unic.*

II. De Ascensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 302. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Contemplatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. De amore spirituali. *Lib. Exerc. pag.* 219., et *Append. tert. Med.* 35. *et seqq. post Hebd.* IV.

LECT. Ex *Libro Exercitiorum*. *Notanda* in hac Hebdomada, *pag.* 216. *et seqq.* Explanatio *de punctis in hac Hebdomada superadditis*, *pag.* 211. *num.* 1. *etc.* Modi tres orandi, *pag.* 228. *et seqq.* Regulae *ad sentiendum cum orthodoxa Ecclesia*, *pag.* 333.

SECVNDVS ORDO (*)

Meditationes quae in hoc Ordine assignantur sunt *quinque* de FVNDAMENTO, *quinque* ex prima, *quindecim* ex secunda, *decem* ex tertia, et *quinque* ex quarta Hebdomada.

Lectiones petuntur ex *Directorio*.

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO, punctum primum: *Creatus est homo* etc. *Lib. Exerc. pag.* 71., *et Append. tert. Med.* 1. *ante Hebd.* 1.

II. De eodem, punctum secundum, quod incipit: *Reliqua vero* etc. *Lib. Exerc. pag.* 72., et *Append. tert. Med.* II. *ante Hebd.* 1.

III. De eodem, punctum tertium, quod incipit: *Quapropter debemus* etc. *Lib. Exerc. pag.* 72., et *Append. tert. Med.* 3. *ante Hebd.* 1.

IV. De eodem, punctum quartum, quod incipit: *Sed consentaneum* etc. *Lib. Exerc.*

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum*, pag. 16.

pag. 73., et *Append. tert. Med.* 4. *ante Hebd.* 1.

* V. Repetitio super quatuor praedictis Meditationibus.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XII. *de Fundamento.* Item *Cap.* XIII. *de duplici Examine.*

NOTANDVM. In sequentibus Ordinibus, in quibus *Lectiones* non assignantur ex *Libro Exercitiorum*, debent tamen legi quaedam magis necessaria ex eodem *Libro*, et ex nonnullis *Explanationibus:* veluti *Additiones* et *Notanda* in unaquaque Hebdomada, Regulae de *discernendis spiritibus*, et his similia. Item Explanationes *de punctis Meditationum*, in secunda, tertia, et quarta Hebdomada: et si quae sunt aliae, quae pro personae et temporis circumstantia legi deberent.

SECVNDA DIES

MED. I. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.

II. De peccatis. *Lib. Exerc. pag.* 93.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum triplici Colloquio. *Lib. Exerc. pag.* 96.

IV. De Iudicio universali. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 26.

* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XI. *de prima Hebdomada in universum.*

TERTIA DIES

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

* III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

IV. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.
V. Repetitio super praecedenti Meditatione.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XVIII. *de secunda Hebdomada, et primo de fine qui in ea praetenditur*. Item *Cap.* XIX. in quo agitur *de primis quatuor Exercitiis secundae Hebdomadae, de Praeludiis,* et *de Punctis Meditationum*. Hisce adiungenda Explanatio *de punctis Meditationum, Lib. Exerc. pag.* 127.

NOTANDVM. Ab hac die inchoanda esset Electionum discussio, de qua vide infra quod positum est in I. Ordine pro *Exercitiis* XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

QVARTA DIES

MED. I. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.
II. De tribus Modis Humilitatis. *Lib. Exerc. pag.* 162., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 41.
III. De Baptismo Christi. *Lib. Exerc. pag.* 261., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 42. *et seqq.*
IV. De tentatione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 262., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 45. *et seqq.*
* V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXIX. § 4. *usque ad* § 7. *inclusive*, pro intelligentia trium Classium. Item *eiusdem Cap.* XXIX. § 8 *de tribus Gradibus Humilitatis*: ubi cum dicitur quod etiam in Meditatione opportuno tempore revolvendi sunt, non vetatur ne interdum id fiat adhibita aliqua forma Meditationis.

QVINTA DIES

MED. I. De Vocatione Apostolorum. *Lib. Exerc. pag.* 263., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 48. *et seqq.*

II. De Sermone Christi habito in monte. *Lib. Exerc. pag.* 266., et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 57. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XX. *de quinto Exercitio secundae Hebdomadae, quod est Applicatio sensuum.*

SEXTA DIES

MED. I. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 197. *et* 278., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4. *et seqq.*

* II. De gestis in domo Caiphae. *Lib. Exerc. pag.* 281., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10. *et seqq.*

III. De reversione ab Herode ad Pilatum. *Lib. Exerc. pag.* 284., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et seqq.*

IV. De condemnatione et crucifixione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 286., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

V. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287., et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXV. §. 1. 2. 3. *de tertia Hebdomada.*

SEPTIMA DIES

MED. I. Repetitio super prima et secunda Meditatione praecedentis diei.
II. Repetitio super tertia Meditatione eiusdem diei.
III. Repetitio super quarta et quinta Meditatione.
* IV. Repetitio altera huic praecedenti penitus conformis.
V. Repetitio omnium simul.
LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXV. §. 4. 5. *et* 6. *de tribus affectibus pro hac Hebdomada.* Iuverit tamen addere ex eodem *Cap.* 7. 8. 9. 10. *et* 11. *de ceteris affectibus.*

OCTAVA DIES

MED. I. De apparitione octava. *Lib. Exerc. pag.* 297., et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 20. *et seqq.*
II. De Apparitione nona. *Lib. Exerc. pag.* 298., et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 23. *et seqq.*
III. De Amore spirituali, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 220. *et seqq.*, et *Append. tert. post Hebd.* IV. *Med.* 35. *et* 36.
IV. De eodem, punctum tertium et quartum. *Lib. Exerc. pag.* 226. *et seqq.*, et *Append. tert. post Hebd.* IV. *Medit.* 37. *et* 38.
* V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione.
LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXVI. *de quarta Hebdomada.*

TERTIVS ORDO (*)

Meditationes quae in hoc Ordine assignantur sunt *duae* DE FVNDAMENTO, *tres* ex prima, *viginti* ex secunda, *decem* ex tertia, et *quinque* ex quarta Hebdomada.

Lectiones, sed aliae ac in praecedenti Ordine, petuntur ex *Directorio.*

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO. *Lib. Exerc. pag.* 71.
* II. De eodem. Iuxta *Direct. Cap.* x. § 5.
III. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.
IV. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.
V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione, cum triplici Colloquio. *Ibid. pag.* 96.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XIV. *De primo Exercitio primae Hebdomadae*, et *Cap.* XV. *De aliis Exercitiis.*

NOTANDVM. Idem, quod adscripsimus post Lectionem huius diei in praecedenti Ordine *pag.* 21.

SECVNDA DIES

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. De Incarnatione. *Lib. Exerc. pag.* 119.
IV. De Nativitate. *Ibid. pag.* 124.
* V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione. *Lib. Exerc. pag.* 130. *et seqq.*

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXVI. *De tempore triplici ad Electionem recte faciendam*, et *Cap.* XXVII. *Comparatio secundi temporis cum tertio.*

NOTANDVM idem, quod de Electione positum est infra in I. Ordine pro *Exercitiis* XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum* pag. 16.

TERTIA DIES

MED. I. De Circumcisione. *Lib. Exerc. pag.* 254.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 18. *et seqq.*
II. De tribus Magis. *Lib. Exerc. pag.* 255.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 21. *et seqq.*
III. De fuga in Aegyptum. *Lib. Exerc. pag.* 257.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 27. *et seqq.*
* IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
V. Applicatio sensuum ad tertiam Meditationem.
LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXVIII. *De modo priore et posteriore bonae Electionis faciendae.*

QVARTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Ibid. pag.* 152.
IV. De sedata maris tempestate. *Lib. Exerc. pag.* 267.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 60. *et seqq.*
* V. De ambulatione super aquas. *Lib. Exerc. pag.* 268.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 63. *et seqq.*
LECT. Ex *Direct. Cap.* XXIX. *De praxi et ordine Electionis.* Item *Cap.* XXX. *De ipsa Electione iuxta rationem secundi temporis.* Item *Cap.* XXXI. *De Electione iuxta priorem et posteriorem modum.*

QVINTA DIES

MED. I. De missis ad praedicandum Apostolis. *Lib. Exerc. pag.* 269.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 66. *et seqq.*

II. De quinque millium hominum refectione. *Lib. Exerc. pag.* 271.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 72. *et seqq.*

III. De Lazari suscitatione. *Lib. Exerc. pag.* 273.: *et Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 78. *et seqq.*

* IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

V. Applicatio sensuum ad tertiam Meditationem.

NOTANDVM. Hoc die, tum mane tum vespere, intra et extra Meditationem, revolvendi sunt *tres Modi Humilitatis*, ut in *Lib. Exerc. pag.* 162. *et seqq.*, ac iuxta *Direct. Cap.* XXIX. § 8.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXII. *De oratione post factam Electionem.* Item *Cap.* XXXIII. *Quid agendum, cum eligens hallucinatur.* Item *Cap.* XXXIV. *De iis qui statum habent.*

SEXTA DIES

MED. I. De Coena ultima. *Lib. Exerc. pag.* 190. *et* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 1. *et seqq.*

II. De comprehensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 280.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 7. *et seqq.*

III. De Christi apud Pilatum accusatione. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 13. *et seqq.*

IV. Repetitio super prima Meditatione.

* V. Applicatio sensuum ad secundam et tertiam Meditationem.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXV. § 7. 8. 9. 10. *et* 11. *De aliis affectibus pro hac Hebdomada.* Iuverit tamen addere § 5. *et* 6. eiusd. *Cap.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De transmisso Christo ad Herodem. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 16. *et seqq.*

II. De reversione ab Herode ad Pilatum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et seqq.*

III. De condemnatione et crucifixione IESV CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

* IV. Repetitio super tertia Meditatione.

V. Applicatio sensuum ad eamdem tertiam Meditationem.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXV. §. 12. *et* 13. *de Regulis victus.*

OCTAVA DIES

MED. I. De Apparitione tertia. *Lib. Exerc. pag.* 292.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 5. *et seqq.*

II. De Apparitione quarta. *Lib. Exerc. pag.* 293.: *et Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 8. *et seqq.*

III. De Apparitione quinta. *Lib. Exerc. pag.* 294.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 11. *et seqq.*

* IV. Repetitio super tertia Meditatione.

V. De Amore spirituali. *Lib. Exerc. pag.* 219. *et seqq.*: et *Append. tert. Med.* 35. *et seqq. post Hebd.* IV.

LECT. Ex *Directorio. Cap.* XXXVII. *de tribus Modis orandi.*

QVARTVS ORDO (*)

Meditationes, quae in hoc Ordine assignantur, sunt *quinque* DE FVNDAMENTO, *decem* ex prima, *decem* ex secunda, *decem* ex tertia, *quinque* ex quarta Hebdomada.

Lectiones petuntur ex *Sacra Scriptura.*

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 1. *et* 2. *ante Hebd.* 1.

II. De eodem, punctum tertium et quartum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 3. *et* 4. *ante Hebd.* 1.

III. Repetitio super prima Meditatione.

IV. Repetitio super secunda Meditatione.

* V. Repetitio omnium simul.

LECT. Ex Sacra Scriptura. *Deuter. Cap.* XXXII. Canticum Moysis: *Audite, coeli, quae loquor.* etc.

NOTANDVM idem, quod adscripsimus post Lectionem huius diei in secundo Ordine *pag.* 21.

SECVNDA DIES

MED. I. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.

II. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum triplici Colloquio. *Ibid. pag.* 96.

IV. De Inferno. *Ibid. pag.* 98.

* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.

LECT. Ex Sacra Scriptura. *Epist. ad Roman. Cap.* II. 5. *Secundum autem duritiam tuam*, etc.

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum* pag. 16.

TERTIA DIES

MED. I. De transgressibus primae tabulae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 9.
II. De vulnere ignorantiae in intellectu. *Ibid. Med.* 10.
III. De difficultate, sive infirmitate, quae est in intellectu et voluntate, etc. *Ibid. Med.* 13.
IV. De Iudicio particulari. *Ibid. Med.* 14.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. Ex Sacra Scriptura. *Sapient. Cap.* IX. 14. *Cogitationes enim mortalium timidae* etc. Item *Luc. Cap.* XXI. *de die Iudicii.*
NOTANDVM. Ab hac die inchoanda esset Electionum discussio, de qua vide infra quod positum est in 1. Ordine pro *Exercitiis* XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

QVARTA DIES

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. De Incarnatione. *Ibid. pag.* 119.
IV. De Nativitate. *Ibid. pag.* 124.
* V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione.
LECT. Ex Sacra Scriptura. *Epist. ad Rom. Cap.* XII. *Obsecro itaque*, etc. *ut exhibeatis corpora vestra* etc. Item *ad Tit. Cap.* II. 11. *Apparuit enim gratia Dei* etc.: praeter Lectionem Mysteriorum, de quibus meditati aut proxime meditaturi sumus. (De quo vide Notandum primum Hebd. secund. *Lib. Exerc. pag.* 136., et *Direct. Cap.* XXI. § 2.)

QVINTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.
IV. De tribus Gradibus Humilitatis. *Lib. Exerc. pag.* 162., cum Praeludiis de tribus Classibus, omisso primo, et cum Colloquiis assignatis. *Ibid.* : et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 41.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. Ex Sacra Scriptura. *Epist. ad Ephes. Cap.* IV. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, etc. Item *Epist. ad Coloss. Cap.* I. 13. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii*, etc.

SEXTA DIES

MED. I. De Coena ultima. *Lib. Exerc. pag.* 190. *et* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 1. *et seqq.*
II. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 197. *et* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4. *et seqq.*
III. De gestis in domo Caiphae. *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10. *et seqq.*
* IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
V. Applicatio sensuum ad tertiam Meditationem.
LECT. Ex Sacra Scriptura. *Isaiae Cap.* LIII. *totum : Quis credidit auditui nostro*, etc.: praeter

Mysteria ex Evangelio, de quibus meditati aut meditaturi sumus, ut dictum est in Lectione quartae diei huius Ordinis.

SEPTIMA DIES

MED. I. De reversione ab Herode ad Pilatum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et seqq.*

II. De condemnatione et crucifixione IESV CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

III. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*

IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* V. Applicatio sensuum ad tertiam Meditationem.

LECT. Ex Sacra Scriptura. *Epist.* 1. *ad Corinth. Cap.* II. 2. *Non enim iudicavi me scire aliquid, nisi* IESVM CHRISTVM, *et hunc crucifixum* etc.: praeter Mysteria ex Evangelio, ut dictum est in Lectione quartae diei huius Ordinis.

OCTAVA DIES

MED. I. De Apparitione secunda. *Lib. Exerc. pag.* 291.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 2. *et seqq.*

II. De Apparitione sexta. *Lib. Exerc. pag.* 295.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 14 *et seqq.*

III. De Apparitione septima. *Lib. Exerc. pag.* 296.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 17. *et seqq.*

* IV. Applicatio sensuum ad primam Meditationem.

V. De Amore spirituali. *Lib. Exerc. pag.* 219.

et seqq.: et *Append. tert. Medit.* 35. *et seqq. post Hebd.* IV.

LECT. Ex Sacra Scriptura. *Epist.* II. *ad Corinth. Cap.* I. 5. *Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis*; *ita et per Christum abundat consolatio nostra*, etc. Item *ad Coloss. Cap.* III. 14. *Super omnia autem haec charitatem habete*, etc. Item *Cap.* IV.: praeter Mysteria ex Evangelio, ut dictum est in Lectione quartae diei huius Ordinis.

QVINTVS ORDO (*)

Meditationes, quae in hoc Ordine assignantur, sunt una DE FVNDAMENTO, *novem* ex prima, *quinque* ex secunda, *quindecim* ex tertia, et *decem* ex quarta Hebdomada. Lectiones petuntur ex Libro *de Imitatione Christi* Thomae a Kempis.

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO. *Lib. Exerc. pag.* 71.

II. De transgressoribus quarti, quinti, sexti, et septimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 12.

III. De transgressoribus octavi, noni, et decimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 15.

IV. De peccatis. *Lib. Exerc. pag.* 93.

* V. Repetitio super praecedenti Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Ibid. pag.* 96.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XX. *De confessione propriae infirmitatis, et huius vitae miseriis.* Item *Lib.* I. *Cap.* XXII. *De consideratione humanae miseriae.*

NOTANDVM idem, quod adscripsimus post Lectionem huius diei in secundo Ordine. pag. 21.

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum* pag. 16.

SECVNDA DIES

MED. I. De Inferno. *Lib. Exerc. pag.* 98.
II. De brevitate vitae. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 28.
III. De divite Epulone. *Ibid. Med.* 29.
IV. De Pharisaeo, et Publicano. *Ibid. Med.* 30.
* V. Repetitio super prima Meditatione.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* XXIV. *De Iudicio, et poenis peccatorum.*

TERTIA DIES

MED. I. De REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
* II. De Annuntiatione B. M. V. *Ibid. pag.* 250.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 6. *et seqq.*
III. De DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.
IV. De TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Ibid. pag.* 152.
V. De tribus gradibus humilitatis. *Ibid. pag.* 162., cum praeludiis de tribus Classibus, omisso primo, et cum Colloquiis assignatis. *Ibid.*: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 41.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* VII. *De amore Iesu super omnia*: et *Cap.* VIII. *De familiari amicitia Iesu.*
NOTANDVM. Ab hac die inchoanda esset Electionum discussio, de qua vide infra quod positum est in I. Ordine pro Exercitiis XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

QVARTA DIES

MED. I. De Coena ultima. *Lib. Exerc. pag.* 190. *et* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* I. *et seqq.*

* II. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 197. *et* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4. *et seqq.*

III. De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum. *Lib. Exerc. pag.* 280.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 7. *et seqq.*

IV. De gestis in domo Caiphae. *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10. *et seqq.*

V. De Christi apud Pilatum accusatione. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 13. *et seqq.*

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* XI. *De paucitate amatorum Crucis* IESV. Possunt iungi aliquot Paragraphi ex *Cap.* XII. eiusdem *libri, De Regia via Sanctae Crucis.*

QVINTA DIES

MED. I. De transmisso Christo ad Herodem. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 16. *et seqq.*

II. De reversione ab Herode ad Pilatum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et seqq.*

III. De condemnatione et crucifixione IESV CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

* IV. De Mysteriis in cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *med.* 25. *et seqq.*

V. De Mysterio Sepulturae. *Lib. Exerc. pag.* 289.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 28. *et seqq.*

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* XII. *De Regia via Sanctae Crucis.* Item *Lib.* III. *Cap.* XVIII. *Quod temporales miseriae exemplo Christi aequanimiter sunt ferendae.*

SEXTA DIES

MED. I. Repetitio super prima et secunda Meditatione quartae diei.

II. Repetitio super tertia, quarta, et quinta Meditatione eiusdem diei.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione quintae diei.

IV. Repetitio super tertia, quarta, et quinta Meditatione supradictae quintae diei.

* V. Repetitio omnium simul.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* L. *Qualiter homo desolatus se debet in manus Dei offerre.* Item *Lib.* IV. *Cap.* VIII. *De oblatione Christi in cruce, et propria resignatione.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De Apparitione decima. *Lib. Exerc. pag.* 299.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 26.

II. De Apparitione undecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: *et Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 27.

III. De Apparitione duodecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 28.

* IV. De Apparitione decimatertia. *Lib. Exerc. pag.* 301.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 29. *et seqq.*

V. De Ascensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 302.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et seqq.*

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXI. *Quod in Deo super omnia bona et dona requiescendum est.* Item *Cap.* XXXIV. *Quod amanti sapit Deus super omnia, et omnibus.*

OCTAVA DIES

MED. I. De Amore spirituali, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 35. *post Hebd.* IV.

II. De eodem, punctum secundum. *Lib. Exerc. pag.* 221.: et *Append. tert. Med.* 36. *post Hebd.* IV.

III. De eodem, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 226.: et *Append. tert. Med.* 37. *post Hebd.* IV.

IV. De eodem, punctum quartum. *Lib. Exerc. pag.* 227.: et *Append. tert. Med.* 38. *post Hebd.* IV.

* V. Repetitio omnium simul.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXII. *De recordatione multiplicium beneficiorum Dei.* Item *Lib.* IV. *Cap.* XV. *Quod gratia devotionis humilitate et sui ipsius abnegatione acquiritur.* Item *Cap.* XVII. *De ardenti amore et vehementi affectu suscipiendi Christum.*

SEXTVS ORDO (*)

Meditationes, quae in hoc Ordine assignantur, sunt *duae* DE FVNDAMENTO, *octo* ex prima, decem ex secunda, *quinque* ex tertia, et *quindecim* ex quarta Hebdomada.

Lectiones, sed aliae ac in praecedenti Ordine, petuntur ex Libro *de Imitatione Christi* Thomae a Kempis.

PRIMA DIES

MED. I. DE FVNDAMENTO. *Lib. Exerc. pag.* 71.

II. De eodem. *Ibid.*

III. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum* pag. 16.

IV. De rebellione carnis. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 16.

* V. Repetitio super tertia Meditatione.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* IX. *Quod omnia ad Deum, sicut ad finem ultimum, sunt referenda.* Item *Lib.* I. *Cap.* XXV. *De ferventi emendatione totius vitae nostrae.*

NOTANDVM idem, quod adscripsimus post Lectionem huius diei in secundo Ordine pag. 21.

SECVNDA DIES

MED. I. De rebellione sensuum. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 19.

II. De rebellione amoris proprii. *Ibid. Med.* 22.

III. De rebellione amoris mundani. *Ibid. Med.* 25.

* IV. De peccatis venialibus. *Ibid. Med.* 31.

V. De Purgatorio. *Ibid. Med.* 32.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* XXXIII. *De meditatione mortis.* Item *Lib.* IV. *Cap.* VII. *De discussione propriae conscientiae, et emendationis proposito.*

TERTIA DIES

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.

II. De Incarnatione. *Ibid. pag.* 119.

III. De Nativitate. *Ibid. pag.* 124.

IV. De ascensu in Templum anno duodecimo. *Ibid. pag.* 260.: *et Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 36. *et seqq.*

* V. Repetitio super tertia et quarta Meditatione.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XI. *Quod desideria cordis examinanda sunt et moderanda.*

NOTANDVM. Ab hac die inchoanda esset Electionum discussio, de qua vide infra quod positum est in I. Ordine pro Exercitiis XXX. dierum, *Hebd.* II. *die* V. *Notand.* II.

QVARTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.
* II. De Apostolorum vocatione. *Ibid. pag.* 263.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 48. *et seqq.*
III. De missis ad praedicandum Apostolis. *Lib. Exerc. pag.* 269.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 66. *et seqq.*
IV. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.
V. De tribus Gradibus Humilitatis. *Ibid. pag.* 162., cum praeludiis de tribus Classibus, omisso primo, et cum Colloquiis assignatis. *Ibid.:* et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 41.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXXII. *De abnegatione sui, et abdicatione omnis cupiditatis.* Item *Cap.* XLI. *De contemptu omnis temporalis honoris.*

QVINTA DIES

MED. I. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 197. *et* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4. *et seqq.*
II. De condemnatione et crucifixione IESV CRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*
III. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*
* IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

V. Applicatio sensuum ad tertiam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XVIII. *Quod temporales miseriae, exemplo Christi, aequanimiter sunt ferendae.* Item *Cap.* XIX. *De tolerantia injuriarum, et quis verus patiens probetur.* Item *Cap.* LVI. *Quod nos ipsos abnegare, et Christum imitari debemus per crucem.*

SEXTA DIES

. De Christi Resurrectione, et Apparitione prima. *Lib. Exerc. pag.* 290.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* I.

II. De Apparitione secunda. *Lib. Exerc. pag.* 291.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 2. *et seqq.*

III. De Paradiso, sive de felicitate aeterna. *Lib. Exerc. pag.* 213. *in Explanatione.*

* IV. Repetitio super praecedenti Meditatione.

V. De Amore spirituali, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 35. *post Hebd.* IV. Vide *Direct. Cap.* XXXVI. § 2. de modo utendi hac Contemplatione.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XLVII. *Quod omnia gravia pro aeterna vita sunt toleranda.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De Apparitione decima. *Lib. Exerc. pag.* 299.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 26.

II. De Apparitione undecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 27.

III. De Apparitione duodecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 28.

* IV. Applicatio sensuum ad praecedentem Meditationem.

V. De Amore spirituali, punctum secundum et tertium. *Lib. Exerc. pag.* 221. *et seqq.*: et *Append. tert. Med.* 36 *et* 37. *post Hebd.* IV.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XLVIII. *De die aeternitatis, et huius vitae angustiis.*

OCTAVA DIES

MED. I. De Apparitione decimatertia. *Lib. Exerc. pag.* 301.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 29. *et seqq.*

II. De Ascensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 302.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et seqq.*

III. Repetitio super praecedenti Meditatione.

* IV. Applicatio sensuum ad eamdem Meditationem.

V. De Amore spirituali, punctum quartum. *Lib. Exerc. pag.* 227.: et *Append. tert. Med.* 38. *post Hebd.* IV.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XLIX. *De desiderio aeternae vitae, et quanta sint certantibus bona promissa.*

TRES ORDINES

PRO

EXERCITIIS TRIGINTA DIERVM

NOTANDVM

Quaecumque dicta et annotata fuere in Prooemio ante sex Ordines pro Exercitiis octo dierum (quod quidem semper attente legere et accurate perpendere iuvat), etiam pro sequentibus tribus Ordinibus triginta dierum dicta et annotata censeri debent.

PRIMVS ORDO

In hoc ordine assignantur (praeter FVNDAMENTVM) *quinque* dies pro prima, et (praeter Contemplationem DE REGNO CHRISTI) *duodecim* pro secunda, *septem* pro tertia, et quinque pro quarta Hebdomada. Complectitur universe dies *triginta unum*.

Lectiones petuntur ex ipso *Libro Exercitiorum*.

PRIMA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE FVNDAMENTO, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 1. *ante Hebd.* 1.

II. De eodem, punctum secundum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 2. *ante Hebd.* 1.

III. De eodem, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 3. *ante Hebd.* 1.

IV. De eodem, punctum quartum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 4. *ante Hebd.* 1.

* V. Repetitio omnium simul.

NOTANDVM. Singulae Meditationes omnium Hebdomadarum sequentium aliquo modo referendae sunt ad hoc Fundamentum.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Considerate legendum *Examen particulare, pag.* 74.: deinde *Examen generale, pag.* 77. Item *Additiones, pag.* 103. usque ad Additionem *decimam* exclusive: praeter ea, quae in Prooemio ad hanc Appendicem monuimus legenda esse ante Exercitia.

PRIMA DIES

MED. I. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.

II. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum triplici Colloquio. *Lib. Exerc. pag.* 96.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis. *Ibid. pag.* 98.

V. De Inferno. *Ibid. pag.* 98.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Modus Examinis generalis, pag.* 83. Item Additio *decima,* cum sua Explanatione, *pag.* 108.

SECVNDA DIES

MED. I. De poenis peccati in lege naturae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 6.

II. De poenis peccati in lege gratiae. *Ib. Med.* 18.

III. De miseriis corporis. *Ibid. Med.* 7.

IV. De morte. *Ibid. Med.* 11.

* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Annotatio* XVI. XVII. *et* XVIII. inter viginti, *pag.* 61. *et seqq.* Item *Admonitio*, quae est ante Fundamentum, *pag.* 70.

TERTIA DIES

MED. I. De transgressoribus primae Tabulae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 9.
II. De transgressoribus quarti, quinti, sexti, et septimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 12.
III. De vulnere ignorantiae in intellectu. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 10.
IV. De Iudicio particulari. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 14.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Annotatio* VI. VII. VIII. IX. X. et XI. inter viginti, *pag.* 55. *et seqq.* Item id quod de Meditationibus primae Hebdomadae subjungitur post Exercitium de Inferno, § *Si visum erit ei* etc., *pag.* 102., cum subiecta Explanatione.

QVARTA DIES

MED. I. De transgressoribus octavi, noni, et decimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 15.
II. De difficultate sive infirmitate, quae est in intellectu et voluntate etc. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 13.
III. De signis propinquis extremi Iudicii. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 20.
IV. De ipso Iudicio universali. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 26.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Regulae aliquot de discernendis spiritibus* usque ad *septimam* inclusive, *pag.* 303. *et seqq.: Confessionis Generalis et Communionis usus*, *pag.* 84.

QVINTA DIES

MED. I. De rebellione carnis. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 16.
II. De peccatis venialibus. *Ibid. Med.* 31.
III. De Purgatorio. *Ibid. Med.* 32.
IV. De filio prodigo. *Ibid. Med.* 21.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Septem reliquae Regulae de discernendis spiritibus, pag.* 309. *et seqq.*

SECVNDA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem. *Ibid.*

NOTANDA DVO. primum. Hoc dumtaxat Exercitium hodie bis interdiu fiet. Vide *Lib. Exerc. pag.* 118.
Secundum. Singulae sequentium dierum Meditationes ad Contemplationem DE REGNO CHRISTI semper referendae sunt, nec non ad FVNDAMENTVM de Fine hominis.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Praeter Explanationes iunctas praecedenti Contemplationi, legatur attente Explanatio *De punctis Meditationum, pag.* 127.

PRIMA DIES

MED. I. De Incarnatione. *Lib. Exerc. pag.* 119. *et* 250.
II. De Nativitate. *Lib. Exerc. pag.* 124. *et* 253.
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Quinque Notanda* in hac Hebdomada, *pag.* 136. Item *Regulae aliae utiles ad pleniorem spirituum discretionem*, *pag.* 313.

SECVNDA DIES (*)

MED. I. De Purificatione Beatae Virginis, et pueri IESV Praesentatione. *Lib. Exerc. pag.* 256.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 24. *et seqq.*

II. De fuga in Aegyptum. *Lib. Exerc. pag.* 257.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 27. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Notandum* quod subiungitur tertiae Contemplationi, quae est Repetitio praecedentis diei, *pag.* 131.

TERTIA DIES

MED. I. De vita Domini ab anno aetatis suae duodecimo usque ad trigesimum. *Lib. Exerc. pag.* 259.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 33. *et seqq.*

II. De ascensu in Templum anno duodecimo.

(*) *Cur ab hac die usque ad quartam inclusive huius secundae Hebdomadae una omitti possit Meditatio ab illo qui, hisce Ordinibus perfecte insistens, quinque quotidie peragit Meditationes; vide Notandum* (a) *P. D. appositum pag.* 142. *in Libro Exercitiorum.*

Lib. Exerc. pag. 260.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 36. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Praeludium quoddam* circa considerationem Statuum, cum Explanatione, *pag.* 143.

QVARTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.

II. De eodem, altera vice, iuxta id quod a S. P. N. subiungitur huic Exercitio. Vide *Lib. Exerc. pag.* 152.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Attente legere et ruminari Explanationes ad praedictum Exercitium DE DVOBVS VEXILLIS, *pag.* 145. *et seqq.*, et ad alterum DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS, *pag.* 152. *et seqq.*, et ad *Notandum* subiunctum huic Meditationi, *pag.* 156.

NOTANDVM. Omnes sequentes huius Hebdomadae Meditationes debent imbui spiritu non tantum FVNDAMENTI et Contemplationis REGNI IESV CHRISTI, sed etiam Exercitiorum DE DVOBVS VEXILLIS et DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS, per quae paulatim progredimur ad tertium Gradum Humilitatis.

QVINTA DIES

MED. I. De Baptismo Christi. *Lib. Exerc. pag.* 261.: et *Append. tert. Hebd.* 11. *Med.* 42. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

NOTANDA DVO. Primum. In hac et in sequentibus huius Hebdomadae diebus S. P. N. unicum tantum assignat Mysterium, *Lib. Exerc. pag.* 157., ut qui peragit Exercitia minus fatigetur, et commodius vacet negotio Electionis: non tamen minui debet praescriptarum Meditationum numerus per horam.

Secundum. Circa Electionem, quae ab hac die inchoanda esset (vide Notandum 11. post diem 12. Hebd. secundae, *Lib. Exerc. pag.* 161.), advertendum est, quod etsi nostris minime danda sit, si spectetur primarius huius Exercitii finis, videlicet electio status quem iam habent (vide *Direct. Cap.* x. § 13.); tamen, si secundarius eius finis prae oculis habeatur, nempe constitutio ac definitio coram Deo de re omni (vide *Direct. ibid., et Cap.* xxv. § 9.), expedit ut fiat, et quidem in ipso Exercitiorum secessu, tum ut eius praxim (quae tanti momenti est tam pro se quam pro aliis) recte perdiscant, tum etiam ut circa particularia status iam electi melius per eiusmodi exercitium intelligant ac exequi statuant Dei voluntatem iuxta suae vocationis propositum. De huius autem Electionis materia, quae externis etiam hominibus statum ha-

bentibus accommodari potest, vide si libet P. Gaudier INTRODVCT. AD SOLIDAM PERFECTIONEM, *Cap.* VIII. *de regula electionis, et de electione ipsa, post Medit. de tribus Modis Humilitatis, ac de tribus hominum Classibus:* P. De Palma PRAXIM VIAE SPIRITVALIS *de duobus modis Electionis eorumque declaratione, ad* VI. *Exercitiorum diem:* P. Petitdidier EXERCITIA SPIRITVALIA, *de gradu perfectionis eligendo, ad diem* XV.: P. Bellecii EXERCITIA S. P. IGNATII, *in Lectione ad diem* V. *de praevia animi ad electionem comparatione* § III. *N.* 3. *in puncto secundo, et de electione practica, seu modo instituendae electionis, ad diem* VI.: et P. Neumayr VIAM COMPENDII AD PERFECTIONEM, *Med.* III. *De actu electionis, ad diem* VI. *Exercitiorum:* etc. etc. etc.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Tria notanda*, quae ponuntur post diem duodecimum huius Hebdomadae, *pag.* 160. *et seqq.* usque ad primum Gradum Humilitatis exclusive. Item *Praeludium* ad Electionem faciendam, *pag.* 170.

SEXTA DIES

MED. I. De tentatione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 262.: *et Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 45. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Explanatio *de Mysteriis et Meditationibus, pag.* 247. *et seqq.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De Apostolorum vocatione. *Lib. Exerc. pag.* 263.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 48. *et seqq.*
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Tertius Gradus Humilitatis, pag.* 165. *et seqq.*, qui hac et sequentibus diebus per diem revolvendus, et ad quem in Meditationibus per Colloquia, ut praescribitur, est enitendum.

OCTAVA DIES

MED. I. De sermone Christi habito in monte. *Lib. Exerc. pag.* 266.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 57. *et seqq.*
II. De eodem Exercitio. *Ibid.*
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conforformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Introductio* ad eligendarum rerum notitiam, *pag.* 171. *et seqq.* *Tres* insuper *Humilitatis Gradus* revolvantur, *pag.* 163. *et seqq.*

NONA DIES

MED. I. De Ambulatione super aquas. *Lib. Exerc. pag.* 268.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 63. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *De tempore triplici* ad Electiones, *pag.* 174. *et seqq.* Semper etiam revolvendi *tres Gradus Humilitatis pag.* 163. *et seqq.*

DECIMA DIES

MED. I. De praedicatione in Templo. *Lib. Exerc. pag.* 276.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 87. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Modus prior* sanae bonaeque Electionis, *pag.* 179. Fiat quoque ruminatio *trium graduum Humilitatis*, et progressus ad *tertium* per Meditationes, Colloquia, etc.

VNDECIMA DIES

MED. I. De Lazari suscitatione. *Lib. Exerc. pag.* 273.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 78. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Modus posterior bene eligendi, pag.* 185. Praeterea non omittendum consuetum studium super *tertio Gradu Humilitatis.*

DVODECIMA DIES

MED. I. De die palmarum. *Lib. Exerc. pag.* 275.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 84. *et seqq.*

II. De eodem Exercitio. *Ibid.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. *De emendatione seu reformatione circa vitae statum, pag.* 187. Recollectio *trium Graduum Humilitatis.*

MONITVM. Hi supradicti *tres Gradus Humilitatis* etiam in tertia et quarta Hebdomada, cum aliis fundamentalibus Meditationibus, semper prae oculis versari debent.

TERTIA HEBDOMADA

PRIMA DIES

MED. I. De ultima Coena *Lib. Exerc. pag.* 277.: et *Appendix tert. Hebd.* III. *Med.* I. *et seqq.*

II. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. *Lib. Exerc. pag.* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Explanatio de punctis superadditis, *pag.* 192. *num.* I. Item *Notanda... quatuor*, *pag.* 199.

SECVNDA DIES

MED. I. De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum. *Lib. Exerc. pag.* 280.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 7. *et seqq.*

II. De gestis in domo Caiphae. *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Quatuor primae *Regulae ad victum recte temperandum*, *pag.* 204.

TERTIA DIES

MED. I. De Christi apud Pilatum accusatione. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 13 *et seqq.*

II. De transmisso Christo ad Herodem. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 16. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Quatuor posteriores *Regulae ad victum recte temperandum*, *pag.* 208.

QVARTA DIES

MED. I. De Reversione ab Herode ad Pilatum, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. et 20.

II. De productione Christi ad populum per ista verba *Ecce Homo*, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 285.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 21.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Quaedam notatu digna *de Scrupulis*, *pag.* 329.

QVINTA DIES

MED. I. De condemnatione et crucifixione IESV CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

II. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Repetitur Lectio *de tribus Gradibus Humilitatis, pag.* 163.: qui semper ob oculos versari debent in Meditationibus et per diem.

SEXTA DIES

MED. I. De Mysterio Sepulturae, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 289.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 28. *et* 29.

II. De eodem Mysterio, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 289.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 30.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Repetuntur *Regulae aliquot de discernendis Spiritibus*, a prima ad septimam inclusive, *pag.* 303:

SEPTIMA DIES

MED. I. De tota Passione simul. *Lib. Exerc. pag.* 202.

II. De eadem. *Ibid.*

III. IV. V. Loco duarum Repetitionum et Applicationis sensuum, per totum diem considerandum frequentissime Corpus Domini nostri in sepulcro ab anima seiunctum, et solitudo Matris, ac moeror Discipulorum. (* IV.)

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Subnotandum, et caetera quae habentur post diem septimam usque ad *Regulas ad victum* etc. exclusive, *pag.* 202.

QVARTA HEBDOMADA (*)

PRIMA DIES

MED. I. De Christi Resurrectione, et Apparitione prima. *Lib. Exerc. pag.* 290.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 1.

II. De Apparitione secunda. *Lib. Exerc. pag.* 291.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 2 *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Praeter Explanationem initio huius Hebdomadae positam, *pag.* 210. *num.* 1., legendae Explanationes

(*) *Quomodo huic magis quam praecedentibus Hebdomadis conveniat ut* quatuor *dumtaxat Meditationes fiant, vide secundum* NOTANDVM *post Hebdomadam quartam in* Libro Exercitiorum *pag.* 217.

quae iunguntur primae Contemplationi, *pag.* 211. *num.* 1. Item quatuor *Notanda*, *pag.* 216. Item ea quae diximus de Paradiso sive de felicitate aeterna, *pag.* 213.

SECVNDA DIES

MED. I. De Apparitione tertia. *Lib. Exerc. pag.* 292.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 5. *et seqq.*

II. De Apparitione quarta. *Lib. Exerc. pag.* 293.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 8. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Relegendae *Regulae aliae ad pleniorem spirituum discretionem*, *pag.* 313. *et seqq.*

TERTIA DIES

MED. I. De Apparitione quinta. *Lib. Exerc. pag.* 294.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 11. *et seqq.*

II. De Apparitione sexta. *Lib. Exerc. pag.* 295.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 14. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Libro Exercitiorum. Postquam revisi fuerint tres Gradus Humilitatis, quae in hac Hebdomada aeque debent animo versari, legantur duo modi eligendi, *pag.* 179. *et seqq.*

QVARTA DIES

MED. I. De Apparitione septima. *Lib. Exerc. pag.* 296.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 17. *et seqq.*
II. De Ascensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 302.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et seqq.*
* III. Repetitio super prima Meditatione.
IV. Repetitio super secunda Meditatione.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Regulae de distribuendis eleemosynis, pag.* 324.

QVINTA DIES

MED. I. De amore spirituali, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 220.: et *Append. tert. Med.* 35. *et* 36. *post Hebd.* IV.
II. De eodem, punctum tertium et quartum. *Lib. Exerc. pag.* 226.: et *Append. tert. Med.* 37. *et* 38. *Hebd.* IV.
III. Repetitio super prima Meditatione.
IV. Repetitio super secunda Meditatione.
* V. Repetitio omnium simul.
LECT. Ex Libro Exercitiorum. *Regulae ad sentiendum cum orthodoxa Ecclesia*, *pag.* 333. Item *tres modi orandi*, *pag.* 228.

SECVNDVS ORDO (*)

In hoc Ordine assignantur, praeter FVNDAMENTVM, *quatuor* dies pro prima, et, praeter Contemplationem DE REGNO CHRISTI, *tredecim* pro secunda, *octo* pro tertia, et *quatuor* pro quarta Hebdomada. Complectitur universe dies *triginta et unum.*

Lectiones petuntur ex *Directorio.*

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum* pag. 42.

PRIMA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE FVNDAMENTO, punctum primum et secundum etc. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 1. *et* 2. *ante Hebd.* 1.

II. De eodem, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 3. *ante Hebd.* 1.

III. De eodem, punctum quartum. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 4. *ante Hebd.* 1.

IV. Repetitio super tribus praedictis Meditationibus.

* V. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

NOTANDVM idem, quod adscripsimus ad Meditationem huius diei praeliminaris in praecedenti Ordine *pag.* 43.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XII. *de Fundamento.* Item *Cap.* XIII. *de duplici Examine.*

MONITVM idem, quod adscripsimus ad Lectiones primae diei in secundo Ordine pro Exercitiis octo dierum, *pag.* 21.

PRIMA DIES

MED. I. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.

II. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.

III. Repetitio super prima Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Ibid. pag.* 96.

IV. Repetitio super secunda Meditatione, cum iisdem tribus Colloquiis. *Ibid.*

* V. Repetitio super prima et secunda Meditatione simul, cum praedictis tribus Colloquiis. *Ibid.*

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XI. *de prima Hebdomada in universum.* Item *Cap.* XIV. *de primo Exercitio primae Hebdomadae.*

SECVNDA DIES

MED. I. De Inferno. *Lib. Exerc. pag.* 98.
II. De poenis peccati in lege naturae. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 6.
III. De poenis peccati in lege gratiae. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 18.
IV. De morte hominis sanitati et vitae nimis affixi. *Ibid. Med.* 8.
* V. Repetitio super prima Meditatione.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XV. *de aliis Exercitiis primae Hebdomadae*, ubi etiam agitur de Additionibus.

TERTIA DIES

MED. I. De rebellione carnis. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 16.
II. De rebellione sensuum. *Ibid. Med.* 19.
III. De rebellione amoris proprii. *Ibid. Med.* 22.
IV. De rebellione amoris mundani. *Ibid. Med.* 25.
* V. Repetitio omnium simul.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XVI. *de Confessione generali.*

QVARTA DIES

MED. I. De lapsu et poenitentia Petri. *Append. tert. Hebd.* I. *Med.* 24.
II. De muliere peccatrice. *Ibid. Med.* 27.
III. De peccatis venialibus. *Ibid. Med.* 31.

IV. De Purgatorio. *Ibid. Med.* 32.
* V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XVII. *de fine primae Hebdomadae.*

SECVNDA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem *Ibid.*
NOTANDA eadem duo, quae adscripsimus ad Meditationem huius diei praeliminaris in praecedenti Ordine. *pag.* 45.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XVIII. *de secunda Hebdomada.*

PRIMA DIES

MED. I. De annuntiata B. Virgini Christi Incarnatione. *Lib. Exerc. pag.* 250.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 6. *et seqq.*
II. De Maria Elisabeth cognatam suam visitante. *Lib. Exerc. pag.* 252.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 9. *et seqq.*
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XIX. *de primis quatuor Exercitiis secundae Hebdomadae.*

SECVNDA DIES (*)

MED. I. De Nativitate. *Lib. Exerc. pag.* 124.
II. De Pastoribus. *Lib. Exerc. pag.* 254.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 15. *et seqq.*
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* XX. *de applicatione sensuum.*

TERTIA DIES

MED. I. De Circumcisione. *Lib. Exerc. pag.* 254.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 18. *et seqq.*
II. De tribus Magis. *Lib. Exerc. pag.* 255.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 21. *et seqq.*
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.
LECT. Ex Directorio. *Cap.* III. *de quibus monendus sit Exercitia ingrediens, et de tempore meditandi.*

QVARTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS, pars prima. *Lib. Exerc. pag.* 145.
II. De eodem Exercitio, pars secunda. *Ibid. pag.* 148.

(*) *Vide notam huic diei appositam in Ordine praecedenti* pag. 46.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera precedenti penitus conformis.

V. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Ibid. pag.* 152.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXII. *de Electione quanti sit momenti etc.*

NOTANDVM idem, quod adscripsimus ad Lectionem huius quartae diei in praecedenti Ordine. *pag.* 47.

QVINTA DIES

MED. I. De Baptismo Christi. *Lib. Exerc. pag.* 261.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 42. *et seqq.*

II. De tentatione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 262.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 45. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

NOTANDA DVO. Primum. Cur in hoc Ordine pro hac et sequentibus huius Hebdomadae diebus, loco unius, ut innuit S. P. noster, *Lib. Exerc. pag.* 157., duo quotidie Mysteria meditanda assignentur, vide *Directorium Cap.* XXXI. § 2.

Secundum, idem quod *de Electione* adscripsimus ad Meditationes huius diei in praecedenti Ordine, *pag.* 48.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXIV. *qualis esse debeat qui dirigit electurum.* Tota materia Electionis tam ad sui quam ad aliorum directionem est utilissima.

MONITVM. Qui exercetur debet, post Meditationem DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS, per totum reli-

quum tempus Exercitiorum in Meditationibus, Colloquiis, et extra illa interdiu versare memoria *tres Gradus Humilitatis*.

SEXTA DIES

MED. I. De Apostolorum vocatione. *Lib. Exerc. pag.* 263.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 48. *et seqq.*

II. De primo Christi miraculo facto in nuptiis. *Lib. Exerc. pag.* 264.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 51. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXIII. *quales esse debeant qui ad Electionem admittuntur.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De fugatis e Templo negotiatoribus. *Lib. Exerc. pag.* 265.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 54. *et seqq.*

II. De Sermone Christi habito in monte. *Lib. Exerc. pag.* 266.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 57. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXV. *quae sint res, de quibus est Electio.*

OCTAVA DIES

MED. I. De sedata maris tempestate. *Lib. Exerc. pag.* 267.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 60. *et seqq.*

II. De ambulatione super aquas. *Lib. Exerc. pag.* 268.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 63. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXVI. *de tempore triplici ad Electionem.*

NONA DIES

MED. I. De missis ad praedicandum Apostolis. *Lib. Exerc. pag.* 269.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Medit.* 66. *et seqq.*

II. De conversione Magdalenae. *Lib. Exerc. pag.* 270.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 69. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXVII. *comparatio secundi temporis faciendae Electionis cum tertio.*

DECIMA DIES

MED. I. De quinque millium hominum refectione. *Lib. Exerc. pag.* 271.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 72. *et seqq.*

II. De transfiguratione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 272.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 75. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXVIII. *de modo priore et posteriore bonae Electionis faciendae.*

VNDECIMA DIES

MED. I. De Lazari suscitatione. *Lib. Exerc. pag.* 273.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 78. *et seqq.*

II. De Coena apud Bethaniam. *Lib. Exerc. pag.* 274.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 81. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXIX. *de praxi et ordine Electionis.*

DVODECIMA DIES

MED. I. De die Palmarum. *Lib. Exerc. pag.* 275.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 84. *et seqq.*

II. De praedicatione in Templo. *Lib. Exerc. pag.* 276.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 87. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXX. *de ipsa Electione iuxta rationem secundi temporis.*

DECIMATERTIA DIES

MED. I. Repetitio Meditationum primae, secundae, tertiae, et quartae diei huius Hebdomadae, iungendo sive praeponendo Contemplationem *de Regno Christi.*

II. Repetitio Meditationum quintae, sextae, septimae, et octavae diei.

III. Repetitio Meditationum nonae, decimae, undecimae, et duodecimae diei.

IV. Repetitio omnium dictarum Meditationum simul.

* V. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXI. *de Electione iuxta priorem et posteriorem modum.* Et *Cap.* XXXII. *De oratione post factam Electionem.*

TERTIA HEBDOMADA

PRIMA DIES

MED. I. De Coena ultima, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 1.

II. De eodem Mysterio, punctum secundum. *Lib. Exerc. pag.* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 2.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXVI. *de tertia Hebdomada.*

SECVNDA DIES

MED. I. De Coena ultima, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 3.

II. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis. punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio super praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXIII. *de hallucinatione in Electione.*

TERTIA DIES

MED. I. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis, punctum secundum. *Lib. Exerc. pag.* 279.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 5.

II. De eodem Mysterio, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 279.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 6.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXIV. *de iis qui statum habent.*

QVARTA DIES

MED. I. De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum. *Lib. Exerc. pag.* 280.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 7. *et seqq.*

II. De gestis in domo Caiphae. *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* IX. *de variis hominum generibus, quibus dari possunt Exercitia.*

QVINTA DIES

MED. I. De Christi apud Pilatum accusatione, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 13. *et* 14.

II. De eodem Mysterio, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 15.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* VIII. *de proponenda Meditatione.*

SEXTA DIES

MED. I. De transmisso Christo ad Herodem. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 16. *et seqq.*

II. De reversione ab Herode ad Pilatum, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et* 20.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. Recolantur *Cap.* XXII. XXIII. XXIV. XXV. et XXVI. spectantia ad *Electionem.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De reversione ab Herode ad Pilatum, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 285.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 21.

II. De condemnatione et crucifixione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. Recolantur *Cap.* XXVII. XXVIII. XXIX XXX. spectantia ad *Electionem.*

OCTAVA DIES

MED. I. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*

II. De Mysterio Sepulturae. *Lib. Exerc. pag.* 289.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 28. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. Recolantur *Cap.* XXXI. XXXII. XXXIII. et XXXIV. spectantia ad *Electionem.*

QVARTA HEBDOMADA (*)

PRIMA DIES

MED. I. De Christi Resurrectione et Apparitione prima. *Lib. Exerc. pag.* 290. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* I.

II. De Apparitione quarta. *Lib. Exerc. pag.* 293. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 8. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXVI. *de quarta Hebdomada.*

SECVNDA DIES

MED. I. De Apparitione octava. *Lib. Exerc. pag.* 297. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 20. *et seqq.*

II. De Apparitione nona. *Lib. Exerc. pag.* 298. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 23. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXVII. *de tribus modis orandi usque ad* § 8. *inclusive.*

(*) *Vide Notam huic Hebdomadae appositam in Ordine praecedenti*, pag. 56.

TERTIA DIES

MED. I. De Apparitione decimatertia. *Lib. Exerc. pag.* 301.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 29. *et seqq.*

II. De Ascensione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 302.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. Ex Directorio, *Cap.* XXXVII. § 9. *usque ad finem.* Item *Cap.* XXXVIII. *de Regulis tradendis.*

QVARTA DIES

MED. I. De Amore spirituali. *Lib. Exerc. pag.* 219. *et seqq.*: et *Append. tert. Med.* 35. *et seqq. post Hebd.* IV.

II. Repetitio super praedicta Meditatione.

* III. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

IV. De septem virtutibus, quae septem peccatis capitalibus opponuntur, iuxta primum orandi modum. *Lib. Exerc. pag.* 231., *Explanat. num.* 1. Item *pag.* 233., *Explanat. num.* 1.

V. De quinque sensibus, iuxta secundum modum orandi, cum affectu imitandi B. Virginem. *Lib. Exerc. Notandum quartum*, *et Subnotandum, pag.* 233.

NOTANDVM. Hae duae postremae Meditationes eo consilio hic assignantur, ut discatur mo-

das triplex orandi, quo deinde in posterum uti possimus tum ad nostram tum ad aliorum utilitatem. Vide *Direct. Cap.* XXXVII. § II.

LECT. Ex Directorio. *Cap.* XXXIX. *de tribus viis.*

TERTIVS ORDO (*)

In hoc Ordine assignantur, praeter FVNDAMENTVM, *sex* dies pro prima, et, praeter Contemplationem DE REGNO CHRISTI; *octo* pro secunda, *novem* pro tertia, et *sex* pro quarta Hebdomada. Complectitur universe dies *triginta unum*.

Lectiones petuntur ex Libro *de Imitatione Christi* Thomae a Kempis, quibus iungi potest Lectio *de Vitis Sanctorum*.

PRIMA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE FVNDAMENTO. Tria prima puncta, usque ad quartum exclusive: *Sed consentaneum* etc. *Lib. Exerc. pag.* 71.: et *Append. tert. Med.* 1. 2. et 3. *ante Hebd.* 1.

II. De eodem, addito etiam quarto puncto. *Lib. Exerc. pag.* 71. et *Append. tert. Med.* 4. *ante Hebd.* 1.

III. Repetitio super prima Meditatione.

IV. Repetitio super secunda Meditatione.

* V. Repetitio omnium simul.

NOTANDVM idem, quod adscripsimus ad Meditationes huius diei praeliminaris in primo Ordine *pag.* 43.

(*) *Vide Notandum primo Ordini praefixum*, pag. 42.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* IX. *quod omnia ad Deum, sicut ad finem ultimum, sunt referenda.*

MONITVM. In prima Hebdomada possunt seligi quaedam ex Vitis Sanctorum, nominatim Societatis nostrae, quibus describitur eorum conversio ad Deum et poenitentia, et possunt aliqua quotidie de illis legi. Videndum insuper aliud Monitum, quod adscripsimus ad Lectiones primae diei in secundo Ordine pro Exercitiis octo dierum, *pag.* 21.

PRIMA DIES

MED. I. De triplici peccato. *Lib. Exerc. pag.* 85.
II. De peccatis. *Ibid. pag.* 93.
III. Repetitio super prima Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Ibid., pag.* 96.
* IV. Repetitio super secunda Meditatione, cum iisdem tribus Colloquiis *Ibid.*
V. De Inferno. *Ibid. pag.* 98.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* XXIV. *de Judicio, et poenis peccatorum.*

SECVNDA DIES

MED. I. De poenis peccati in lege naturae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 6.
II. De miseriis corporis. *Ibid. Med.* 7.
III. De transgressoribus primae Tabulae. *Ibid. Med.* 9.
IV. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Lib. Exerc. pag.* 96.
* V. Repetitio super tertia Meditatione, cum iisdem tribus Colloquiis.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XX. *de confessione propriae infirmitatis, et huius vitae miseriis.*

TERTIA DIES

MED. I. De transgressoribus quarti, quinti, sexti, et septimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 12.

II. De vulnere ignorantiae in intellectu. *Ibid. Med.* 10.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Lib. Exerc. pag.* 96.

IV. De morte. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 11.

V. De iudicio particulari. *Ibid. Med.* 14.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* XXIII. *de meditatione mortis.*

QVARTA DIES

MED. I. De transgressoribus octavi, noni et decimi praecepti. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 15.

II. De difficultate, sive infirmitate, quae est in intellectu et voluntate. *Ibid. Med.* 13.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Lib. Exerc. pag.* 96.

IV. De Pharisaeo et Publicano. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 30.

V. De extremi Iudicii signis remotis. *Ibid. Med.* 17.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* 1. *Cap.* XXII. *de consideratione humanae miseriae.*

QVINTA DIES

MED. I. De rebellione amoris proprii. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 22.
II. De rebellione amoris mundani. *Ibid. Med.* 25.
* III. Repetitio super primæ et secunda Meditatione, cum tribus Colloquiis. *Lib. Exerc. pag.* 96.
IV. De brevitate vitae. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 28.
V. De resurrectione mortuorum. *Ibid. Med.* 23.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* 1. *Cap.* XXV. *de ferventi emendatione totius vitae nostrae.*

SEXTA DIES

MED. I. De peccatis venialibus. *Append. tert. Hebd.* 1. *Med.* 31.
II. De Purgatorio. *Ibid. Med.* 32.
* III. Repetitio super praecedenti Meditatione.
IV. De Filio prodigo. *Ibid. Med.* 21.
V. Repetitio super praecedenti Meditatione.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* 1. *Cap.* XIII. *de tentationibus reprimendis.*

SECVNDA HEBDOMADA

DIES PRAELIMINARIS

MED. I. DE REGNO CHRISTI. *Lib. Exerc. pag.* 113.
II. De eodem. *Ibid.*
NOTANDA eadem duo, quae adscripsimus ad Meditationem huius diei praeliminaris in primo Ordine, *pag.* 45.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* 1. *Cap.* 1. *de imi-*

tatione Christi, et contemptu omnium vanitatum mundi.

MONITVM. Possunt sequentibus Hebdomadis legi Lectiones de virtutibus Sanctorum, per quas imitati sunt Christum. Ceterum in Prooemio ad hanc Appendicem monuimus, non fatigandum eum qui exercetur multa lectione: et id praecipue curandum; ut Exercitia Meditationum quam optime peragantur.

PRIMA DIES

MED. I. De Nativitate. *Lib. Exerc. pag.* 124.

II. De Circumcisione. *Lib. Exerc. pag.* 245.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 18. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* VII. *Cap.* XI. *de amore* IESV *super omnia.*

SECVNDA DIES (*)

MED. I. De tribus Magis. *Lib. Exerc. pag.* 255.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 21. *et seqq.*

II. De Purificatione Beatae Virginis, et pueri IESV Praesentatione. *Lib. Exerc. pag.* 256.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 24. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

(*) *Vide notam huic diei appositam in primo Ordine*, pag. 46.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* VIII. *de familiari amicitia* IESV.

TERTIA DIES

MED. I. De fuga in Aegyptum. *Lib. Exerc. pag.* 257.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 27. *et seqq.*

II. De reditu ab Aegypto. *Lib. Exerc. pag.* 258.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 30. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* XVIII. *de exemplis sanctorum Patrum.*

QVARTA DIES

MED. I. DE DVOBVS VEXILLIS. *Lib. Exerc. pag.* 145.

II. De eodem Exercitio.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. DE TRIBVS HOMINVM CLASSIBVS. *Lib. Exerc. pag.* 152.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXXV. *quod non est securitas a tentatione in hac vita:* Item *Cap.* XLI. *de contemptu omnis temporalis honoris.*

NOTANDVM idem, quod adscripsimus ad Lectionem huius quartae diei in primo Ordine, *pag.* 47. Videndum insuper *Monitum* ad Lectionem quintae diei in praecedenti Ordine. *pag.* 63.

QVINTA DIES

MED. I. De tentatione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 262.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 45. *et seqq.*

II. De Apostolorum vocatione. *Lib. Exerc. pag.* 263.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 48. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

NOTANDA eadem duo: Primum, quod adscripsimus *de numero Mysteriorum* ad Meditationes quintae diei in praecedenti Ordine, *pag.* 63. Secundum, idem quod *de Electione* adscripsimus ad Meditationes huius diei in primo Ordine, *pag.* 48.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* X. *quod, spreto mundo, dulce est servire Deo.*

SEXTA DIES

MED. I. De sermone Christi habito in monte. *Lib. Exerc. pag.* 266.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 57. *et seqq.*

II. De sedata maris tempestate. *Lib. Exerc. pag.* 267.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 60. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXIX. *qualiter, instante tribulatione, Deus invocandus est, et benedicendus.* Item *Cap.* XXX. *de divino petendo auxilio.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De missis ad praedicandum Apostolis! *Lib. Exerc. pag.* 269.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 66. *et seqq.*

II. De quinque millium hominum refectione. *Lib. Exerc. pag.* 271.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 72. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* LIV. *de diversis motibus naturae et gratiae.*

OCTAVA DIES

MED. I. De transfiguratione Christi. *Lib. Exerc. pag.* 272.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 75. *et seqq.*

II. De die Palmarum. *Lib. Exerc. pag.* 275.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 84. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

MONITVM. Licet semper alias Meditationes substi-

tuere: si modo capitales, quarum spiritu ceterae imbui debent, non omittantur.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* LIX. *quod omnis spes et fiducia in solo Deo est figenda.*

TERTIA HEBDOMADA

PRIMA DIES

MED. I. De Coena ultima, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 277.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 1. et 2.

II. De eodem Mysterio, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 3.
De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 278.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 4.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* XI. *de paucitate amatorum Crucis Christi.*

SECVNDA DIES

MED. I. De Mysteriis post Coenam et in Horto gestis; punctum secundum et tertium. *Lib. Exerc. pag.* 279.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 5. et 6.

II. De comprehensione Christi et traductione ad Annae domum, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 280.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 7. et 8.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* XII. *usque ad* § 9. *de regia via sanctae Crucis.*

TERTIA DIES

MED. I. De comprehensione Christi et traductione ad Annae domum, punctum tertium *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 9.
De gestis in domo Caiphae, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 281.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 10.

II. De praecedenti Mysterio, punctum secundum et tertium. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 11. et 12.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* XII. *a* § 9. *usque ad finem, de regia via sanctae Crucis.*

QVARTA DIES

MED. I. De Christi apud Pilatum accusatione, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 282.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 13. et 14.

II. { De eodem Mysterio, punctum tertium: *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* II. *Med.* 15.
De transmisso Christo ad Herodem, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 16.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* II. *Cap.* 9. *de carentia omnis solatii.*

MONITVM. Tertius Gradus Humilitatis et tertia hominum Classis memoria non excidant.

QVINTA DIES

MED. I. De transmisso Christo ad Herodem, punctum secundum et tertium. *Lib. Exerc. pag.* 283.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 17. *et* 18.

II. De reversione ab Herode ad Pilatum, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 284.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 19. *et* 20.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* I. *Cap.* X. *de cavenda superfluitate verborum.* Item *Cap.* XX. *de amore solitudinis et silentii.*

SEXTA DIES

MED. I. { De reversione ab Herode ad Pilatum, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 285.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 21.
De condemnatione et crucifixione IESV CHRISTI, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 286.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 22. }

II. De praecedenti Mysterio, punctum secundum et tertium. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 23. *et* 24.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XIX. *de tolerantia iniuriarum, et quis verus patiens probetur.*

SEPTIMA DIES

MED. I. De Mysteriis in Cruce factis. *Lib. Exerc. pag.* 287.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 25. *et seqq.*

II. De Mysterio Sepulturae. *Lib. Exerc. pag.* 289.: et *Append. tert. Hebd.* III. *Med.* 28. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXIX. *qualiter, instante tribulatione, Deus invocandus est et benedicendus.*

OCTAVA DIES

MED. I. Repetitio Meditationum primae, secundae, tertiae, et quartae diei.

II. Repetitio Meditationum quintae, sextae, et septimae diei.

III. Repetitio totius Passionis simul.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad totam Passionem, vel saltem ad praecipua Mysteria.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* LVI. *quod nos ipsos abnegare, et Christum imitari debemus per Crucem.*

QVARTA HEBDOMADA (*)

PRIMA DIES

MED. I. De Christi Resurrectione, et Apparitione prima. *Lib. Exerc. pag.* 290.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* I.

II. De Apparitione quinta. *Lib. Exerc. pag.* 294: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* II. *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XLVIII. *de die aeternitatis, et huius vitae angustiis.*

(*) *Vide Notandum huic Hebdomadae appositum in primo Ordine*, pag. 56.

SECUNDA DIES

MED. I. De Apparitione octava. *Lib. Exerc. pag.* 297.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 20. *et seqq.*

II. De Apparitione nona. *Lib. Exerc. pag.* 298.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 23 *et seqq.*

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem: vel de Amore spirituali, punctum primum. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 35. *post Hebd.* IV.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXXIV. *quod amanti sapit Deus super omnia et in omnibus.*

TERTIA DIES

MED. I. De Apparitione decima. *Lib. Exerc. pag.* 299.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 26.

II. De Apparitione undecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 27.

III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.

* IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem: vel de Amore spirituali, punctum secundum. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 36. *post Hebd.* IV.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXXI. *de neglectu omnis creaturae, ut Creator possit inveniri.*

QVARTA DIES

MED. I. De Apparitione duodecima. *Lib. Exerc. pag.* 300.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 28.
II. De Apparitione decimatertia. *Lib. Exerc. pag.* 301.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 29.
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem: vel de Amore spirituali, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 37. *post Hebd.* IV.
LECT. De Imitatione Christi. *Cap.* XXII. *de recordatione multiplicium beneficiorum Dei.*

QVINTA DIES

MED. I. De Ascensione Christi, punctum primum et secundum. *Lib. Exerc. pag.* 302. et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 32. *et* 33.
II. De eodem Mysterio, punctum tertium. *Lib. Exerc. pag.* 302.: et *Append. tert. Hebd.* IV. *Med.* 34.
III. Repetitio super prima et secunda Meditatione.
IV. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.
V. Applicatio sensuum ad primam et secundam Meditationem: vel de Amore spirituali, punctum quartum. *Lib. Exerc. pag.* 219.: et *Append. tert. Med.* 38. *post. Hebd.* IV.
LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XLIX. *de desiderio aeternae vitae, et quanta sint certantibus bona promissa.*

SEXTA DIES

MED. I. De Amore spirituali, Contemplatio integra. *Lib. Exerc. pag.* 219. *et seqq.*: et *Append. tert. Med.* 35. 36. 37. *et* 38. *post Hebd.* IV.

II. Repetitio super hac prima Meditatione.

* III. Repetitio altera praecedenti penitus conformis.

IV. De oblatione sui per orationem: *Suscipe, Domine*, etc. ut in *Lib. Exerc. pag.* 221., iuxta secundum orandi modum de quo in *Lib. Exerc. pag.* 234.

V. De gratiarum actione per Hymnum: *Te Deum laudamus*, etc., iuxta tertium orandi modum, de quo in *Lib. Exerc. pag.* 236.

LECT. De Imitatione Christi. *Lib.* IV. *Cap.* XVII. *de ardenti amore et vehementi affectu suscipiendi Christum.*

APPENDIX II.


IN QVA AGITVR

DE MODO

TRADENDI EXERCITIA

EXTERNIS

SECVNDVM TRES IPSORVM CLASSES



PROOEMIVM
AD LECTOREM
RELIGIOSVM SOCIETATIS IESV.

Quia finis nostrae Societatis est, etiam *impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere*, juxta Regulam II. Summarii; idcirco, praeter APPENDICEM PRIMAM quae ad Exercitia spiritualia nostrorum commodius peragenda dirigitur, necessaria fuit haec APPENDIX SECVNDA *de modo tradendi Exercitia externis*, ne cura salutis et perfectionis proximorum praetermissa videretur.

Et sane, Exercitia illa S. P. nostri ad omnium hominum genera, omniumque salutem ac perfectionem se extendunt. Imo Constitutiones et Regulae Societatis nostrae, atque adeo duplex ille finis salutis propriae et alienae, ex admirabili illo Exercitiorum libro originem suam habent, et tamquam ex radice prodierunt: prout per integrum caput ostendit P. Ludovicus de Palma, in Hispanico volumine quod scripsit de eodem Exercitiorum libro.

Ut autem fructus istius libri redundet in proximos nostros, necesse est ut sint dispositi et praeparati ad Exercitia excipienda et peragenda, utque illa desiderent et expetant. Quod ut fiat, magna opus est in nostris prudentia et industria: et nisi id prius obtineatur, frustraneus et inutilis erit labor. Res enim nobis est cum mente et voluntate humana, qua non consentiente, recti nihil ab ea sperari potest. Juverit non-

numquam aliqua faciliora et magis vulgaria proponere; alia vero, quasi pretiosiora et solis quibusdam selectis communicanda, quodammodo tegere, ita tamen ut sciant plura et meliora celari. Solent enim homines per ignorantiam magis provocari ad inquirenda ea, quorum scientiam acquiri posse inaudiunt: et res latens ac recondita, in eo qui suspicatur illam esse utilem et aestimatione dignam, generat curiositatem, et aviditatem acuit.

Caeterum de modo inducendi homines ad Exercitia, legendum Caput I. Directorii, cui nihil addendum videtur: nonnihil ex eo attulimus ad Annotationem XVIII. inter viginti.

Quicumque igitur cum approbatione Superiorum, juxta Reg. XXXIX. communium, de qua videri potest Nigronius, aliis Instructiones spirituales aut Exercitia dare volet, ei tres sequentes classes et modos ob oculos ponimus: ut, iis bene matureque perpensis, non temere sed circumspecte considerateque procedat, et artem modumque probe assecutus, ad proximos plurimos sic ad salutem et perfectionem promovendos totum se convertat. Incredibilis enim fructus et morum reformatio sequatur necesse est, si hisce armis spiritualibus homines contra Daemones et peccata instruere et munire studuerimus.

Cum iis quae nunc proponemus, legenda erit Annot. XIII. XIX. et XX. inter viginti, et singulis juncta Explanatio.

CLASSIS PRIMA

DE IIS QVIBVS INTEGRA EXERCITIA DARI POSSVNT

Duo nobis hic veniunt explicanda. Primum est, QUI ET QUALES ESSE DEBEANT QUIBUS EXERCITIA INTEGRA dari possint: alterum, QUO ORDINE ET MODO ILLIS TRADENDA SINT. Haec autem, ut uno veluti intuitu Lector percipiat, duobus paragraphis absolvemus.

§. I.

QVI ET QVALES PER INTEGRA EXERCITIA SINT EXCOLENDI.

Non agimus de hominibus Societatis, sed de externis. Hos autem, ex sensu S. P. nostri, constat esse paucos, quibus integra Exercitia dare conveniat. Sic diserte loquitur Const. part. sept. Cap. iv. § 8. lit. F. *Exercitia spiritualia*, inquit, *plene nonnisi paucis . . . tradenda sunt.* Et part. quart. Cap. viii. § 5. lit. E: *Quando vero omnia tradentur, raris hominibus . . . tradi oportebit.* Lainio quoque et Salmeroni, euntibus ad Concilium Tridentinum, idem S. P. noster praecepit, ne cuipiam ad commentandum alia proponerent praeter ea quae prima hebdomada proponuntur, *nisi forte perpaucis.*

S. P. noster part. quart. cap. viii. lit. E. sic loquitur: *Quando vero omnia tradentur, raris hominibus, vel qui de vitae suae statu deliberare velint, tradi* oportebit. Ex quibus verbis concludi potest, alteru-

trum sufficere, ut omnia tradantur: vel si de vitae statu quis deliberare velit, dummodo ad talem deliberationem ineptus non sit; vel, quamvis de statu vitae deliberare nolit aut non debeat quia forsan in statu firmo est, si sit vir rarus et raris naturae dotibus instructus; vel (ut loquitur S. P. noster Annot. xix. inter viginti) *ingenio sive literis praeditus*, vel (sicut loquitur Const. part. sept. cap. iv. lit. F.) quando homines sunt *hujusmodi, ut ex eorum profectu non vulgaris ad Dei gloriam fructus speretur.* Atque hinc satis intelligitur, quales esse debeant.

§. II.

MODVS ET ORDO SERVANDVS IN INTEGRIS EXERCITIIS TRADENDIS

I.

QVOMODO EXERCITIA INTEGRA VIRIS AB OCCVPATIONIBVS LIBERIS DARI POSSINT

Modus et ordo tradendi ejusmodi hominibus Exercitia non est idem, sed varius. Maxime plenus et perfectus est ille, quem describit S. P. noster Annot. xx. de eo, *qui a negotiis liberior est, et fructum consequi spiritualem optat quam possit maximum.* Ex quibus verbis discimus, ut plenissime dentur Exercitia, non satis esse ut quis liberior sit a negotiis, sed insuper necesse est ut optet fructum maximum et plenissimum consequi. Nam sine tali desiderio est sicut lignum, necdum satis arefactum, nec paratum ut concipiat ignem.

Quod si tale a caelo desiderium habuerit, huic, inquit ibidem S. P. noster, *tradenda sunt omnia Exer-*

citia, eodem quo procedant ordine. Additque, quod conveniat *scribi rerum capita, ne excidant e memoria.* Sed legendum de hoc Directorium Cap. III. § 5. et 6., et Cap. VII. § 2., ubi explicatur quaenam sint scribenda, et monemur ne *scribendi dulcedine ita se quispiam distineri sinat, ut tempus eripiatur meditationi, ut etiam praeparationi ad meditationem. Semper enim aliquanto ante meditationem debet omnia relinquere, et omnino suam cogitationem convertere ad puncta illius exercitii quod jam instat . . . . Oportet enim salvam semper relinqui meditationem, et caetera omnia huic uni servire.*

Tum S. P. noster in eadem Annot. XX. pergit agere de loco Exercitiis apto, in quo exercendus remotus sit a rerum humanarum solicitudine, et a familiari cuiusquam interpellatione: et tres praecipuas commoditates ex illa solitudine ortas proponit: de qua tota re legendum Directorium.

Quando homines ita instructi sunt ingenio et literis, et ita praeparati voluntate, ut fructum quam possint maximum desiderent referre; quando etiam, ut certius id quod desiderant assequantur, solitudinem et recessum a familiaribus et negotiis sectari et volunt et possunt; patet, perfectissimo modo illis tradenda esse Exercitia, hoc est tali omnino ordine et modo, qui in libro Exercitiorum praescribitur. Neque plus de his dicendum.

2.

QVOMODO INTEGRA EXERCITIA VIRIS NEGOTIIS DISTENTIS DARI EXPEDIAT

Perfectissimo modo, de quo supra loquuti sumus, iuverit nunc imperfectissimum et infirmum opponere, qui tenendus est cum eiusmodi hominibus, satis alioquin ingeniosis, doctis, et capacibus. Ex his enim

duobus gradibus, extreme sibi quodammodo oppositis, prudens Director judicare et decernere poterit, quomodo procedendum sit per vias medias: quae sane sunt plurimae, nec enumerari possunt, ob summam varietatem conditionum et circumstantiarum, quae in personis alioquin capacibus inveniuntur.

Alterum igitur quasi extremum istorum hominum, sive ingenio sive literis praeditorum, ponit S. P. noster Annot. xix., ubi agit de eiusmodi homine, qui alioquin capax esset pleniorum Exercitiorum, sed non licet illi recipere se in locum secretum, quia implicatur *negotiis publicis vel aliis convenientibus*. Adjungi huic posset ille, de quo sermo est in fine secundae hebdomadae, ubi S. P. noster agit *de emendatione seu reformatione circa vitae statum cuivis facienda*, et de homine *qui vel matrimonio vel officio dignitatis ecclesiasticae sit adstrictus . . . . . unde ipsi non vacet aut parum libeat, circa mutabilium rerum electiones versari*: de quo vide plura circa finem Classis tertiae hic.

Tales sane plures inveniuntur: cum paucissimi sint, qui primum et perfectissimum gradum teneant, de quibus proxime egimus.

De tali igitur homine S. P. noster ante omnia inquirendum esse docet ibidem Annot. xix., quantum temporis quotidie occupationibus illis suis subtrahere possit ut vacet saluti animae suae: saltem, ut intelligo, per plures dies vel septimanas aliquot, quamdiu scilicet Exercitiis vacabit. Non est enim cur postea non possit tempus illud contrahere, si negotia id exigant. De tali igitur sic ibidem loquitur S. P. noster: *Suppetente ipsi hora una et dimidia diebus singulis ad sumenda nonnulla Exercitia, exponendum primo erit, quem in finem homo creatus sit: deinde per horam dimidiam examen particulare, deinceps generale cum modo rite confitendi sumendique sancti Sacramenti, tradi ei possunt*. Hactenus S. P. noster.

Quando autem dicitur exponendum esse, quem

in finem homo creatus sit; non sic accipiendum est, ut sit nuda et simplex expositio a Directore facta, sed ut ita director exponat; ut alter per horam consideret et contempletur rem expositam: ut veritas Fundamenti alte animo imprimatur. Quamobrem etiam non abs re erit, uno alterove die eamdem veritatem magis ruminari, donec intellectus in eius cognitione conquiescat: sic ut quotidie horam insumat isti meditationi.

Superest igitur ipsi praeterea quotidie media hora, qua examen particulare et generale, et modus confitendi et communicandi tradi ipsi possint: non simul, sed singulis diebus tantum, quantum judicaverit Director convenire: quamvis aliquae harum instructionum, etiam ultra dies quibus Fundamenti studio vacatur, differentur. Modus vero rite confitendi et sumendi sacrosanctum Corpus Christi posset ipsi tradi ex libello aliquo: passim enim inveniuntur tales. Potest etiam tempore istius mediae horae aliquid sibi describere, quod imposterum usui futurum sit.

Pergit S. P. noster: *Praescribendo etiam*, postquam scilicet Fundamenti veritatem satis inspexerit, *ut mane per triduum, spatio unius horae, meditationem agat de primo, secundo, ac tertio peccato*, hoc est de primo exercitio primae hebdomadae: *postea per alios tres dies, eadem hora, de processu peccatorum*, hoc est de secundo exercitio: *per alios totidem, de poenis quae peccatis respondent*, hoc est de quinto exercitio, sive de Inferno. Ex quo discimus, quantopere S. P. noster aestimet Repetitiones, quando mavult per tres dies eamdem meditationem fieri, quam novas quotidie proponi.

Non prohibentur tamen aliae meditationes, de morte, judicio, etc.: quarum singulas etiam per biduum aut triduum repetere juvabit. Non debet etiam omitti Colloquium triplex, quod in tertio exercitio ponitur.

Interea Additiones hebdomadae primae dictandae

illi sunt, sicut ibidem praescribit S. P. noster.

Denique S. P. noster concludit Annotationem illam his verbis: *Observabitur eadem meditandi ratio, circa Mysteria Domini nostri Iesu Christi, quae infra in ipsismet Exercitiis late explicatur.*

Debent proinde Meditationum secundae, tertiae, et quartae Hebdomadae Repetitiones fieri, sicut primae: et interea ei qui exercetur proponi Additiones, Regulae modi eligendi, aliaque (de quibus non nihil dicetur circa finem Classis tertiae), prout personae dispositio exigit, et Director iudicaverit expedire.

Ex quibus omnibus patet, eiusmodi Exercitiis peragendis menses etiam plures impendi posse, cum magno sane fructu. Nam sic quotidie, per viam purgativam, illuminativam, et unitivam, ille qui dirigitur maiorem semper progressum facit.

Atque ex his (ut proxime dicebamus) conditionibus adeo diversis et quasi extremis, hominis scilicet a negotiis liberi, et hominis negotiis quotidianis distracti, prudens Director videre poterit quomodo cum hominibus mediae cuiusdam conditionis procedendum sit: veluti cum illo, qui duas aut plures quotidie horas negotiis spiritualibus vacare posset, qui etiam per intervalla uno alterove die vel semel octiduo integro se plane a strepitu negotiorum et hominum separare posset. Videre, inquam, poterit, an potius tali conveniant integra Exercitia tradere octiduo, sed contracta, sicut ostendimus dari posse in Explanatione ad Annot. XII. inter viginti; an vero magis conveniat, longiori tempore paulatim illum exercere extra illam secessionem; an denique partim in secessione, partim extra instruendus sit.

Iudicabit item, an omnia quae traduntur in libro Exercitiorum, an tantum aliqua, et quaenam, illi proponenda sint. Nam sapientissime monet S. P. noster Annot. XVIII. inter viginti, procedendum esse, *iuxta eius qui exercetur habitudinem : puta pro aetate, doctrina, vel ingenio*, Exercitia accommodando. Aliter

senilis, aliter virilis, aliter juvenilis aetas tractanda est. Aliter cum homine bellicis intento negotiis, aliter cum versato in civilibus, aliter cum matrimonio junctis, aliter cum Ecclesiasticis, aliter cum saecularibus agendum est.

3.

QVAENAM ADVERTENDA QVOTIES EXERCITIA INTEGRA VIRIS ECCLESIASTICIS DARI OPORTEAT

De Sacerdotibus nunc aliquid dicendum est. Ac primum quidem sacerdotium non sine praevia matura deliberatione suscipiendum est, ut pura et non obliqua sit de eo electio. Ideo S. P. noster in praeludio *ad electionem faciendam*, *de ecclesiastico munere, seu Beneficio*, *vel Sacerdotio* tam diserte loquitur, atque iterum *de ordine Sacerdotali* in *Introductione ad eligendarum rerum notitiam* puncto secundo. Quapropter intentio et animus bene examinandus est, ne aliud, quam Deum et finem creationis nostrae, spectemus.

Quam in rem occurrunt verba S. Franc. Xaverii Epist. IV. lib. primi, ubi Academicos, praecipue Parisienses aspirantes ad sacerdotia, occasione tot animarum quae pereunt aeternum ob defectum Evangelizantium, hortatur, *ut appositis rerum divinarum meditationibus exercerent se se*, ut audirent quid in eis loqueretur Dominus: *suisque cupiditatibus ac rebus humanis posthabitis, se totos ad Dei nutum atque arbitrium fingerent*: ac dein sic loquitur: *Male metuo*, inquit, *ne qui tamdiu in gymnasiis ad bonarum artium studia incumbunt, inania bonorum, ac sacerdotiorum insignia magis spectent, quam ipsa munera atque onera, quae illis ornantur insignibus: video enim rem eo iam loci venisse, ut qui maximarum artium studiis dant operam diligentius, vulgo profiteantur, se doctrinae laude ecclesiasticam aliquam occupari dignitatem*,

*5

quo scilicet Christo Domino et Ecclesiae operam navent suam. Sed profecto miseri falluntur: quippe qui studia illa ad privatam magis referunt quam ad publicam utilitatem. Et quoniam verentur, ne Deus ipsorum cupiditati non obsequatur; nolunt totam rem divinae permittere voluntati. Ita sanctus ille Indiarum Apostolus. Plura ibi videri possunt.

Quod si quis jam *officio dignitatis ecclesiasticae sit adstrictus;* tunc referet plurimum considerare ea quae habentur in fine Hebdom. secundae, *de emendatione seu reformatione circa vitae statum cuivis facienda.* Nam ibi de Ecclesiasticis aperta iterum est mentio.

Valde etiam ad Ecclesiasticos spectant *Regulae in distribuendis eleemosinis servandae.* Nam sexta et septima Regula nominatim ad Ecclesiasticos et Praelatos dirigitur.

Denique *Regulae aliquot servandae, ut cum Orthodoxa Ecclesia vere sentiamus*, statui ecclesiastico fere sunt propriae.

Haec omnia, praeter alias meditationes aliaque exercitia, Ecclesiasticis tradi possunt; et multa eorum, matrimonio jungendis, vel junctis. Nam aliquoties S. P. noster conjugatos cum Ecclesiasticis componit, ut videre est locis citatis.

Nolumus autem, haec omnia singulis, et eodem modo proponi. Nam habitudo quoque consideranda est et propensio animi, *prout cuique in animo est, se se disponere*, sicut S. P. noster loquitur Annot. XVIII. inter viginti. Nam (ut ibidem dicit) interdum aliquis *se instrui dumtaxat postulat, et ad gradum aliquem perduci, in quo animus suus conquiescat.* Denique multa S. P. noster permittit iudicio prudentis Directoris.

Denique notandum, quod quaecumque de Classibus sequentibus dicentur, etiam de his intelligenda sint, qui literis et ingenio praediti sunt; nam qui aptus est ad majora, etiam ad minora in eodem genere aptus est.

CLASSIS SECVNDA

DE IIS

QVIBVS SOLA EXERCITIA PRIMAE HEBDOMADAE

CVM ANNEXIS EXAMINIBVS ETC.

TRADENDA SVNT

Sanctus P. noster (Const. part. sept. Cap. IV. § 8. lit. F) dicit, quod *primae Hebdomadae Exercitia ... ad multos extendi possent*. Et hoc est secundum genus hominum, *multorum* scilicet, de quo egimus ad Annot. XVIII. inter viginti num. 2.

In tradendis vero hisce Exercitiis eadem moderatione et discretione procedendum est, sicut diximus de capacioribus: considerando eorum animi praeparationem, dando plura vel pauciora exercitia, eaque vel in loco secreto a negotiis et familiaribus assignando ibi plures meditationes uno quoque die, vel domi duos tresve dies impendendo uni meditationi, aliquid etiam temporis quotidie tribuendo Examinibus et Additionibus, pro Directoris prudentia.

Porro inter illa quae explicari possunt, intelliguntur etiam tres Modi orandi qui in libro Exercitiorum docentur; praesertim primus, qui speciem quamdam Examinis habet.

Haec Exercitia primae hebdomadae cuivis hominum generi et conditioni, modo tantum ingenii et scientiae habeant ut ea capere possint, tradere licet: etiam foeminis religiosis, aliisque matrimonio junctis, sicut ex mente S. P. nostri narravimus Explanat. in Annot. XVIII. inter viginti ad finem. Habenda tamen semper est ratio habitudinis personarum, et secundum

eam temperanda Exercitia: quae tam in quantitate quam in qualitate ad uniuscuiusque captum, imo et ad desiderium proficiendi, accommodanda sunt.

Illa denique, quae proxime sequenti Classe dicentur, etiam ad hos spectant, qui primae hebdomadae Exercitiorum capaces sunt.

CLASSIS TERTIA

DE IIS QVIBVS SOLA EXAMINA ET MODOS ORANDI TRADERE CONVENIT

Classis haec ad plurimos extenditur. In primis enim ad eam reducuntur omnes, etiam literis et ingenio praediti, quando ad progressum ulteriorem dispositi non sunt. Dicit enim S. P. noster Annot. XVIII. inter viginti, *quod prout cuique in animo est se se disponere, impartiendum id demum est, quod cum potissimum iuvare possit.* Deinde tales sunt omnes illi, quibus Exercitia primae hebdomadae tradi possunt, quando neque illi ad meditationes primae hebdomadae satis dispositionis aut voluntatis habent. Plures denique inveniuntur, qui quamvis non ea vi mentis polleant ut Exercitia etiam solius primae hebdomadae, quae requirunt quamdam ratiocinandi et meditandi facultatem, peragere possint; possunt tamen haec examina et modos orandi, praesertim primum qui tantam perspicacitatem ad discurrendum non requirit, cum fructu usurpare. Rationem, cur ad tam multos haec Exercitia extendi possint, tradit S. P. noster (Const. part. septima Cap. IV. §. 8. lit. F). *Quivis enim*, inquit, *bona praeditus voluntate, ad haec idoneus erit.*

Iterum monendum occurrit, posse haec omnia doceri vel in solitudine ad quam se recipit quispiam ad dies aliquot, vel inter negotia domestica, modo quotidie nonnihil temporis pro negotiis animae vacuum habeat is qui exercetur.

Modum autem et ordinem quemdam horum Exercitiorum ponit S. P. Noster Annot. xviii, inter viginti his verbis: *Tradi potest particulare primum examen...., deinde generale, simulque modus orandi mane per horae dimidium ex praeceptorum Dei et peccatorum mortalium consideratione ....* Vide de hoc orandi modo Explanationem ei iunctam, et de horae dimidio easdem Explanationes ad secundum modum orandi. Pergit S. P. noster: *Suadendum etiam fuerit, ut octavo quoque die peccata sua confiteatur, et quindecim dierum intervallo, vel octo potius si affectus impellat, sumat Eucharistiae Sacramentum. Ista exercitationis ratio proprie competit rudioribus seu illiteratis, quibus insuper exponenda erunt singula praecepta Dei atque Ecclesiae, mortalia peccata, cum quinque sensibus, et operibus misericordiae*: ita S. P. noster.

Dubium non est, quin hic ordo possit mutari, et haec omnia pro habitudine eius qui exercetur possint aliter atque aliter fieri. Spectandum enim, quid et quantum vires uniuscuiusque ferant, *ne cui rudi aut imbecilli seu debili ea imponantur, quae ferre non possit citra incommodum*, ait S. P. noster in eadem Annotatione: *et si is*, inquit, *qui tradit Exercitia alterum viderit debilis esse naturae ac parum capacis, unde modicus proventus et fructus sperari queat; satius fuerit aliqua ex dictis levioribus Exercitiis ipsi praescribere*, etc.: id quod Directori tam apud literatos quam apud rudes semper prae oculis habendum est, quando incapacitas oritur ex debilitate naturae.

Singula praecepta Dei et Ecclesiae satis explicata inveniuntur in libris, qui vel breviter vel copiose argumentum hoc tractant: ex quibus Director exposi-

tionem seligere vel formare poterit, quae captui eius qui instruitur accommodata sit.

De peccatis mortalibus sive capitalibus, et virtutibus eis oppositis, libri etiam non silent, et nos breviter de iis aliquid diximus ad primum orandi modum: uti et de operibus misericordiae, quae enumeravimus post Contempl. de Nativitate in hebdomada secunda.

Valde etiam utile est, si, in usu trium potentiarum animae et in usu quinque sensuum, Christum vel B. Virginem vel aliquem Sanctum (veluti cum se praeparare volunt ad eius festum diem) discant imitari, juxta primum illum orandi modum, qui legendus est.

Debent autem assuescere, extra tempus quo exercentur, ordinarie mediam horam, plus vel minus, prout negotia permittunt, huic orandi modo quotidie insumere, et conscientiam suam eodem die examinare, et Sacramenta Confessionis ac Eucharistiae certis temporibus suscipere, sicut paulo ante S. P. Noster praescripsit.

Non prohibetur Director, quaedam alia praescribere, de quibus S. P. noster alibi in libro Exercitiorum mentionem facit: veluti Regulas de victu temperando, ut quotidie legant vel audiant aliquid a libello pio, ut aliquid poenitentiae vel in modo somni vel in victu vel in castigatione corporis assumant interdum, vel alia prout dispositum unumquemque inveniet: talia enim rudes etiam et illiterati facere plerique possunt.

Imo posteriorem modum eligendi plerisque tradere erit perutile: satis enim facilis est ad captum et praxim. Atque adeo easdem Regulas applicare licebit ad distribuendas Eleemosinas, sicut S. P. noster illas applicat.

Quinta vero Regula, quam S. P. noster habet *de distribuendis eleemosinis*, valde apta est, ut affectus nimius erga personas aliquas corrigatur: easdem quatuor Regulas posterioris modi eligendi adhibendo: nihil interim de distributione eleemosinae vel de aliis negotiis cogitando aut deliberando.

Duae ultimae Regulae *de distribuendis eleemosinis* partim quidem etiam ad saeculares, potissimum tamen ad Ecclesiasticos spectant: sicut et Regulae de sentiendo cum orthodoxa Ecclesia.

Id vero quod S. P. noster habet in fine Hebd. secundae *de emendatione seu reformatione circa vitae statum cuivis facienda*, saecularibus aeque atque Ecclesiasticis esset proponendum. Nam diserte agit de eo, qui vel *matrimonio, vel officio dignitatis ecclesiasticae sit adstrictus*: et id indicat quoque vox illa *cuivis*. Et sane optandum esset, ut omnes ex illa Instructione familiam suam regerent.

Sed haec et similia proponenda non sunt, quando voluntas ad haec excipienda non esset praeparata, quod aliquoties monuimus. Industria vero boni Directoris multum conducere ad hoc potest, ut excitetur desiderium ad talia addiscenda et sequenda, praepareturque voluntas, ut cum fructu et avide illa expetant scire.

Utinam Confessarii omnes ex hoc S. P. nostri spiritu suos dirigerent! Quanta in omnis conditionis hominibus, tam viris quam foeminis, sequeretur morum reformatio! quam omnes omnium actiones et labores recte dirigerentur!

[illegible]

APPENDIX III.

QVAE CONTINET

PRAXIM MEDITATIONVM

IN EXERCITIA SPIRITVALIA

AD MENTEM

S. P. IGNATII LOYOLAE

PROOEMIVM

AD RELIGIOSOS SOCIETATIS IESV

AC POTISSIMVM

AD PATRES TERTIAE PROBATIONIS

EORVMQVE INSTRVCTORES.

Quintae editioni *Exercitiorum spiritualium S. P. N. explanatorum* DVAS addideramus APPENDICES. In *prima* sex exhibuimus *Ordines* pro illis qui *per octo*, et *tres* pro iis qui *per triginta* circiter dies in sancto illo Exercitiorum secessu vellent versari, designando quid unoquoque die meditari, quid ex asceticis libris legere expediat: ex quibus Ordinibus sibi quisque unum deligere potest, qui se parat ad Exercitia peragenda. In *secunda* vero, inhaerendo verbis et documentis S. P. N., egimus *de modo tradendi Exercitia externis*, et propositae ibi sunt *tres Classes*: prima videlicet eorum quibus *integra Exercitia*, altera eorum quibus *solam primam Hebdomadam*, tertia denique eorum quibus *sola Examina* cum *tribus orandi Modis* convenit tradere. Facile quidem placebant isti *Ordines*: nam fuerant expetiti. At ecce ex variis Provinciis et Assistentiis Patres zelo ad Exercitiorum spiritum promovendum pleni notabant, plerasque Meditationes, quae in *Ordinibus primae Appendicis* tam pro octo quam pro triginta diebus assignantur, a S. P. Ignatio relictas fuisse quasi informes. Satis nimirum illi fuit tradere

artem meditationes formandi, quam tum alibi tum in *Specimine Meditationis* (quod vide in vol. 1. huius editionis a pag. 342. ad pag. 363. inclusive) per duos paragraphos pluribus explanavimus. Optabant proinde Patres illi, ut ad commodiorem usum meditationes juxta S. P. N. methodum formarentur, et in sua puncta distribuerentur: suadebantque, ut meditationes sic formatas ad domos Probationum potissimum dirigeremus. Horum igitur consiliis acquiescentes et obsequentes, ad Vos, RR. Patres, nos convertimus, vobisque hanc APPENDICEM TERTIAM offerimus. Ad vestrum enim coeleste studium spectat vel maxime, quidquid spectat ad peritiam et praxim *admirabilis illius libri Exercitiorum spiritualium* S. P. Ignatii.

Quamvis, ut iam dicebamus, *Appendix secunda* agat *de modo tradendi Exercitia externis*; nequaquam tamen, illa, quae ibi ex ipsis S. P. N. verbis et principiis tradidimus, animus fuit applicare propius ad praxim, quae, ut consideranti patet, latissime se extendit ob innumeram quodammodo personarum externarum varietatem, quae aetate, valetudine, viribus, ingenio, conditione, voluntate, caeterisque rebus plurimum inter se differunt. Harum curam aliis relinquimus, quae poterit dividi inter multos: veluti si quis, semper inhaerendo principiis S. P. N., sumat sibi provinciam adaptandi Exercitia viris *ecclesiasticis* certa dignitate conspicuis, iisque vel animarum et Ecclesiarum sollicitudine praeditis, vel omnino liberis: alius viris in *toga*; alius in *sago* illustribus iuvandis operam det: alius *rudioribus*; alius *eruditioribus* se impendat: qui singuli in plures partes sive classes subdividi possunt, sicut ex *Appendice secunda* facile concludi potest. Hunc latissimum campum non ingre-

dimur, qui non unius, sed multorum labori apertus est. Vobis solis, RR. Patres, in hac nostra parva lucubratione servire voluimus, qui inter perpaucos, quibus integra Exercitia dare conveniat, estis omnino primi, et prae caeteris recte praeparati. Neque tamen idcirco *externos* negligimus aut excludimus. Certi enim sumus, si vos scopum quem S. P. noster vobis proponit attigeritis, uberrimos a vobis fructus in omne hominum genus promanaturos, et unumquemque, qui vobiscum aget, illius *spiritus* quem in Exercitiis hausistis participem futurum.

Quia igitur vobis perficiendis labor hic noster assumptus est; in Meditationibus hisce fructus vobis maxime proprios colligere conati sumus, hoc est illos, quos S. P. noster in Capitalibus Meditationibus, quae sunt quasi *anima* qua caeterae imbui debent, nobis proponit: et fructus illi identidem inculcantur, ut sic ad scopum in quem S. P. noster collimat, qui est *tertius humilitatis modus*, certius perveniamus. Quod si scopum hunc attigeritis; nihil ultra est, quod ad Christi ardentissimum amorem, hoc est ad summum perfectionis culmen, requiri aut addi possit. At summa haec virtus posita est loco maxime arduo: et quamvis sexcenties in annuo Exercitiorum recessu clarissime perspexeritis eo connitendum esse omnibus viribus, et apud animum vestrum decreveritis reipsa Christum ita sequi; quando tamen tempus venerit quo id ipso opere exequendum est, tunc enimvero sentietis et lumen illud et animos illos saepe languescere.

Haec est depravata naturae nostrae conditio: tam alte videlicet in nobis radices egerunt tres illi tentationum gradus, de quibus sermo est in Meditatione *de duobus Vexillis*, qui *tertio illi humilitatis Modo* e

diametro sunt oppositi, ut tunc fere fortius nos oppugnent, quando Christi vestigia iam iam premenda sunt. Sed ne cadamus animis: nam S. P. noster adversus hanc nostram imbecillitatem remedia aptissima praescripsit: *Colloquia* scilicet, quibus Dei auxilium contra hostes tam pertinaces exposcimus, diffidentes nobis, sed Dei gratiae tanto magis fidentes. De his omnibus plura in Explanationibus videri possunt.

Iam sicut in Explanationibus id nobis praecipue cordi fuit, ne usquam a sensu et mente S. P. nostri deviaremus, rati in sincero libri Exercitiorum sensu situm esse sincerum Societatis nostrae *spiritum*; sic nunc iisdem nos limitibus constrinximus. Quapropter in prima quidem Hebdomada, in qua unius tantum diei Exercitia assignantur, addimus plura pro diebus aliis, sicut S. P. Noster ibidem notat faciendum: in reliquis vero Hebdomadibus nullum argumentum meditandi proponimus, quod non proponitur a S. P. nostro.

Ex singulis autem *Mysteriorum* punctis, quae, ut in Explanationibus ostendimus, valde differunt a punctis Meditationis, formavimus integras Meditationes, redigendo unumquodque *Mysterii* punctum in sua meditandi puncta Hebdomadi cuique convenientia: id quod S. P. noster tradit fieri posse in *Subnotando* Hebd. tert. ante Regulas *de victu* (Lib. Exerc. pag. 202). Quod si quis malit ex duobus vel tribus *Mysterii* punctis unicam sibi formare Meditationem; facillimum est iisdem *Mysterii* punctis simul sumptis eadem meditandi puncta applicare, atque eosdem fructus ex iis colligere.

Memores etiam fuimus Annotationis 4. inter viginti (Lib. Exerc. pag. 49.), ubi S. P. noster Meditationem

vult tradi, *adiecta solum brevi declaratiuncula: ut is qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea et ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit; . . . gustum delectabiliorem et uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata et declarata esset. Non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet.* Ita S. P. noster. Idcirco singula meditandi puncta breviter indicamus: ita tamen, ut ea quae spectant ad *memoriae*, *intellectus*, et *voluntatis* operationem distinguamus; sicut et *conversionem* sive *reflexionem* ad nos ipsos quam S. P. noster saepius commendat. In operatione voluntatis et in Colloquiis non posuimus affectus qui excitari possunt, sed fere tantum aliquid addimus quo affectus, quibus pro varietate temporis varie solemus moveri, possint iuvari et foveri. De *affectibus* videri potest Explanatio ad 1. Exercitium Hebd. primae (Lib. Exerc. pag. 88. num. 1.). Frustra hic moneremus, neminem constringi ad omnia Meditationis puncta percurrenda. Notum enim est iis, qui librum Exercitiorum S. P. nostri inspexerint, quam libertatem hoc in genere meditaturis permittat.

Unicuique Meditationi *Praeludia* sua praefiximus, et cogitationem qua mens nostra dum evigilamus et vestimur occupari debet. Quae quia instanti Meditationi congruere debet, CONGRVA nobis appellatur: estque in unaquaque Hebdomada diversa. Hanc autem ubique exprimendam censuimus, quia verebamur ne a nonnullis aut negligeretur aut non ex praescripto S. P. nostri adhiberetur.

Iam quae de *Recollectione*, de *Repetitione*, et de *sensuum Applicatione* Meditationibus subiungimus, sic

accipienda sunt, ut *Recollectio* quidem omnem, *Repetitiones* vero et *Applicatio sensuum* duas ut plurimum Meditationes subsequantur. Constat itaque, *Repetitiones* et *Applicationes sensuum* aliter disponendas esse, si Meditationes plures in unam contrahantur.

At vero, quia has quas nominavimus partes exprimere solemus, nequaquam existimandum est caeteras, quae a nobis expressae hic non sunt, minoris esse momenti, aut minori diligentia observandas. Nulla enim est, quae non mirifice iuvet ad optatum ex meditatione fructum consequendum. Partes illas omnes ob oculos diligenter posuimus in *Specimine Meditationis* posito post Exercitia; nominatim § II. Subnectimus nihilominus versus paucos, qui partes omnes comprehendunt, ut memoriam iuvent.

PRIDIE

Puncta parata cubans, et somni tempora cense.

MANE.

Quaere vigil quo tendendum, dein congrua volve.

SIGNO DATO AD MEDITANDVM

Praesentem Dominum reverere, illique propinqua:
Auxilium implora sincera mente precandi;
Succedant terna, interdum Praeludia bina.
Singula dein triplex animae vis puncta revolvat:
Se moresque suos, noscens meliora, reformet.
Cumque Deo Sanctisque loquens in fine peroret.

POST MEDITATIONEM

Postremo num lex omnis servata videndum.

In Hebdomada prima tria Meditationis *genera*, qualia in Explanationibus ante *Mysteria Vitae Christi* notavimus, nobis in libro Exercitiorum esse proposita, ordine suo posuimus. In Hebdomada secunda redegimus Meditationes in *tria puncta*. In tertia vero redactae sunt in *sex*. In quarta autem Hebdomada redactae sunt Meditationes in *quinque puncta*: sicut S. P. noster nos docuit, nominatim in 1. *Notando* Hebd. quartae (Lib. Exerc. pag. 216.).

Denique quia non tantum in solitudine et recessu Exercitiorum, sed semper methodus meditandi S. P. nostri familiaris nobis esse debet; et quia in via ab ipso tradita per totius anni, imo totius vitae nostrae decursum perpetuo studio ad *tertium humilitatis modum* connitendum et contendendum est, non abs re fore existimavimus, si seriem quamdam distribuendi quotidiana Exercitia meditationum in certa anni tempora subnecteremus. Hinc enim fructum saltem illum speramus proventurum, RR. Patres, ut vel hac vel alia quae vobis commodior videbitur serie utamini, neque perturbato confusoque modo procedatis, vobis ipsis molesti, dum identidem quaeritur et dubitatur quid cras meditandum sit. Sunt igitur qui hunc sibi ordinem praefigunt:

Die Dominica unam, Feria II. alteram peragunt meditationem. Feria III. et IV. bis easdem repetunt. Feria V. applicant illis sensus (de *Repetitionibus* et *Applicatione sensuum* vide *Explanationes*). Feria VI. ut plurimum meditantur de Mysteriis Passionis Christi. Sabbato meditationem aliquam capitalem ex libro Exercitiorum desumunt: nam spiritu illarum capitalium, v. g. *Fundamenti*, *de Regno Christi*, etc., omnia nostra exercitia pia animari oportet: vel Sabbato

interdum etiam utuntur uno ex *tribus Modis orandi*.

Et ab Adventu quidem usque ad B. V. Purificationem materiam meditandi á die Dominica usque ad Feriam v. inclusive desumunt ex Mysteriis Vitae Christi, incipiendo *ab Incarnatione* usque ad *Ascensum in Templum anno duodecimo*.

A Purificatione usque ad Dominicam primam Quadragesimae sumunt iisdem diebus Meditationes ex *Hebdomada prima*.

A Dominica prima Quadragesimae usque ad Pascha meditantur de Mysteriis *Passionis Christi*: et tunc Feria vi. substituunt meditationem ex *Hebdomada prima*.

A Paschate usque ad Dominicam post octavam Corporis Christi primam et majorem Hebdomadae partem, ut diximus, impendunt Mysteriis *Resurrectionis Christi*: circa Festum vero Pentecostes, SS. Trinitatis, et Corporis Christi inveniunt argumenta apta in meditationibus *ad Amorem spiritualem excitandum*.

A Dominica post octavam Corporis Christi usque ad Adventum meditantur de Mysteriis Vitae Christi *ab Ascensu in Templum anno duodecimo* usque ad diem *Palmarum*, Feria vi. semper meditando de *Passione*: Sabbato autem ex libro Exercitiorum, sicut supra dictum est: nisi quod inter capitales Meditationes possit numerari et interdum adhiberi aliqua ex *Hebdomada prima*, vel *ad Amorem spiritualem excitandum*.

Qui vero malunt diebus Dominicis meditari de Evangelio, ii unicam Repetitionem instituunt Feria iv., et applicant sensus Feria v.

Omnis Meditatio facillime applicatur Sanctis. Nam illi exemplum nobis singulare reliquerunt in ea vir-

tute, de quacunque demum meditemur, et prae omnibus B. Virgo: et sicut molestiarum et laborum in sequendo Christo participes fuerunt, sic etiam felicitas, victoria, et gloria illis communicata est.

Ad extremum, RR. Patres, hoc agamus, ut numquam in nobis cesset studium *admirabilis libri Exercitiorum*: quo saepius et diutius illi vacabitis, eo magis scietis et gustabitis quam suavis sit Dominus, et quam sit divinus *spiritus* qui in eo latet. Quamdiu *spiritus* ille in Societate vigebit, tamdiu vigebit charitas, et persecutionibus quas malus spiritus suscitat erimus superiores, et per totum orbem terrarum vexillum Christi circumferemus, ac post omnia felicitatis et victoriae nos quoque cum Sanctis participes fiemus, sicut laborum et molestiarum Christi participes extiterimus. Hoc ut Deus perficiat et confirmet in nobis, vovebam toto animo.

Romae, in ipsa Festivitate SS. Corporis Christi, anno M. DC. XCVIII.

Reverentiarum Vestrarum

Humillimus servus in Christo
IGNATIVS DIERTINS

PRINCIPIVM

SEV FVNDAMENTVM

MEDITATIO I.

Finis ipsius hominis. (Lib. Exerc. pag. 71.)

CONGRVA. De eo, qui parat se ut cognoscat quid Rex de eo constituerit.

PRAELVDIVM I. Totam materiam *Creatus est homo* etc. usque ad *salvus fiat* inclus. (Lib. Exerc. pag. 71.) simul ob oculos nobis proponere.

PRAELVDIVM II. Petere gratiam ut veritatem illam bene intelligamus, et iuxta illam vivamus.

PVNCTVM I. — *MEMORIA. Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet...* *INTELLECTVS.* Cogitemus quod laudare sit celebrare Dei excellentiam, et quaqua possumus divulgare: quod sane meretur, et quidem solus, tum ob infinitas suas perfectiones, tum ob creationem, cuius titulo est Dominus noster solus: *Magnus Dominus et laudabilis nimis*, Ps. 47. . . . *REFLEXIO.* Videamus quam saepe, neglecta Dei laude, laudem nostram vanam quaesiverimus. . . . *VOLVNTAS.* Deploremus nostram in hoc socordiam, et ad Deum conversi dicamus; *semper laus eius in ore meo*, Ps. 33. . . .

PVNCTVM II. — *MEM. Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum . . . revereatur.* (Lib. Exerc. ibid.) . . . *INTEL.* Reverentia et honor exhibetur alteri tamquam praesenti: *Soli Deo honor*, 1. Tim. 1. *Placentes Deo cum metu, et reverentia*, Hebr. 12. . . . *REFL.* Inquiramus quoties peccaverimus contra debitam Deo reverentiam . . . *VOL.* Ambulemus coram Deo tamquam praesente, et dicamus: *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos*, Ps. 94. . . .

PVNCTVM III. — *MEM. Creatus est homo ad hunc finem*, ut Domino Deo suo sit *serviens*, (Lib. Exerc. ibid.) . . . *INTEL.* Servire est ex voluntate Dei pendere, et eius mandatis obtemperare: *Illi soli servies*, Deut. 6. . . . *REFL.* Inveniemus nos saepe nobis aliisque potius servivisse, Dei mandata transgredientes . . . *VOL.* Doleamus quod ita aberravimus a fine nostro: et deinceps serviamus Deo *in novitate spiritus*, Rom. 7. . . .

PVNCTVM IV. — *MEM. Creatus est homo ad hunc finem, ut salvus fiat.* (Lib. Exerc. ibid.) . . . *INTEL.* Perpendamus infelicitatem hominis, si hunc finem non assequatur: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, Matt. 26. . . . *REFL.* Examinemus an hactenus viam ad finem hunc salutis bene tenuerimus . . . *VOL.* Horrorem concipiamus a via perditionis quae deviat ab hoc fine. Recurramus ad Deum dicentes: *Fiat manus tua, ut salvet me*, Ps. 118. . . .

COLLOQVIVM. Imploremus Dei gratiam, ut veritas finis nostri numquam animo excidat: et ex illa vitam instituamus . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO II.

Finis aliarum rerum. (Lib. Exerc. pag. 72.)

CONGR. De eo, qui a Rege media accipiat ad munus suum recte obeundum.

PRAEL. I. Totam materiam *Reliqua vero super terram* etc. usque ad *vel obsunt* (Lib. Exerc. pag. 72.) uno quasi obtutu obiter inspicere.

PRAEL. II. Petere gratiam pro recto usu rerum creatarum.

PVNCT. I. — *Sanitas et aegritudo.* — MEM. Inter reliqua supra terram sita proponamus nobis sanitatem et aegritudinem . . . *INTEL.* Concludamus ergo *utendum illis vel abstinendum eatenus esse, quatenus*

ad prosecutionem finis vel conferunt vel obsunt. (Lib. Exerc. ibid.) . . . *REFL.* Examinemus an timore aegritudinis non omiserimus tendere ad finem nostrum . . . *VOL.* Obfirmemus animum nostrum, ne unquam ob metum aegritudinis, doloris, laboris, et incommodorum deflectamus a via quae ducit ad finem: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*, Ps. 93. . . .

PVNCT. II. — *Divitiae et paupertas.* — *MEM.* Nunc inter reliqua proponamus nobis divitias et paupertatem . . . *INTEL.* Concludamus item quatenus iis abstinendum vel utendum sit . . . *REFL.* Consideremus quam multi, et nos inter illos, abducantur per haec a suo fine . . . *VOL.* Deploremus nostram aliorumque caecitatem. *Beatus . . . qui post aurum non abiit*, Eccli. 31. . . .

PVNCT. III. — *Honor, et contemptus.* — *MEM.* Haec duo itidem ante mentis oculos obversentur . . . *INTEL.* Patet iterum quid de his concludendum sit . . . *REFL.* Consideremus quomodo honoris studium nobis infestum fuerit, et abducat a laude et servitio Dei . . . *VOL.* Dicamus: Pereat, mi Deus, nomen meum, ut *sanctificetur nomen tuum*, Matt. 6. . . .

PVNCT. IV. — *Vita longa et brevis.* — *MEM.* Hae sunt res, quas S. P. noster inter reliqua enumerat quarto loco . . . *INTEL.* Concludamus vita temporali abstinendum, quando sic oportet ut salvi fiamus et habeamus vitam aeternam, et quando conducit ad laudem et servitium Dei . . . *REFL.* Tamen plurimi metu mortis a fine suo discedunt: videamus an simus ex illis . . . *VOL.* Dicamus, intuendo finem ad quem creati sumus: *Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem*, Philip. 1. . . .

COL. Petamus donum *fortitudinis et timoris Domini*, ne unquam vel spe vitae vel metu mortis abstrahamur a laude, reverentia, et servitio Dei, et a via aeternae salutis nostrae . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO III.

Indifferentia. (Lib. Exerc. pag. 72.)

CONGR. Quomodo volens finem debeat circa media indifferens esse, sicut artifex circa instrumenta.

PRAEL. I. Totam illam partem *Quapropter debemus* etc. usque ad *praeferamus* inclusive (Lib. Exerc. pag. 72) obiter quasi percurrere.

PRAEL. II. Petere gratiam perveniendi ad illam indifferentiam.

PVNCT. I. — *Sanitas et aegritudo.* — *MEM.* Meminerimus, ex praecedenti meditatione, sanitate et aegritudine eatenus utendum vel abstinendum esse, quatenus ad finem conferunt vel obsunt . . . *INTEL.* Hinc concludamus quod absque differentia nos habere circa res illas debeamus, et tamquam media vel instrumenta illas considerare . . . *REFL.* Respiciamus nos, et inquiramus an talem indifferentiam habeamus: . . *VOL.* Aestimemus et observemus Regulam 50. Sum., et aegritudinem acceptemus *ut donum de manu Dei . . . quandoquidem non minus donum est, quam sanitas:* imo maius; quando magis ducit ad finem . . .

PVNCT. II. — *Divitiae et paupertas.* — *MEM.* Meminerimus idem de his duabus rebus ex praecedenti meditatione . . . *INTEL.* Nihil est in divitiis, quod nos ab illo aequilibrio abducere debet: nam quatenus media non sunt ad finem, nil nisi fucatum et vanum illis inest . . . *REFL.* Cogitemus an defectu indifferentiae per has res a fine abducti non fuerimus. . . *VOL.* Dicamus cum Apostolo, Phil. 3.: *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam:* hoc est ut ad finem creationis meae perveniam. . .

PVNCT. III. — *Honor et contemptus.* — *MEM.* Meminerimus et his utendum vel abstinendum, quatenus ducunt ad finem . . . *INTEL.* Ex defectu indifferentiae ad has res, potissimum perturbantur Mona-

steria et Ordines religiosi, Respublicae, Regna, et Orbis terrarum universus ... *REFL.* Forte nos ipsi id ipsum viderimus, vel experti fuerimus in nobis vel in aliis... *VOL.* Quando ita conducit ad finem, dicamus cum Apostolo, 2. Cor. 12.: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis*: et abominemur honores, qui a fine abducunt hominem, *quia gloria eius stercus et vermis*, 1. Mach. 2., et amemus indifferentiam ...

PVNCT. IV.— *Longa et brevis vita.*—*MEM.* Concluseramus, haec duo etiam non aliter esse quaerenda, quam ob finem nostrum ... *INTEL.* Per se sequitur ulterior conclusio, quod debeamus esse indifferentes, ne maior vitae amor nos a fine nostro abducat ... *REFL.* Et videamus an non ideo laudem, reverentiam, servitium Dei, et salutem nostram aliquando neglexerimus ... *VOL.* Dicamus cum Apostolo, Rom. 14. *Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus.* Nil igitur debet tollere indifferentiam ...

COL. Petamus donum *sapientiae* et *intellectus* ad indifferentiam assequendam ...

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IV.

Electio. (Lib. Exerc. pag. 73)

CONGR. Quomodo artifex, et quivis volens finem, eligat instrumenta aptiora.

PRAEL. I. Verba haec: *Consentaneum est ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere, ac desiderare* (Lib. Exerc. pag. 73).

PRAEL. II. Petere gratiam bene semper eligendi.

PVNCT. I. — *Sanitas et aegritudo.* — *MEM.* Recordemur indifferentiam praecedenti meditatione circa haec conceptam ... *INTEL.* Indifferentia posita, ratio docet, sanitatem, si non ducat ad finem, postponendam

aegritudini . . . *REFL.* Videamus an in victu, vestitu, habitatione, missione, labore, vigiliis, et similibus interdum non immodice et perverse elegerimus *sanitatem* prae *aegritudine* cum iactura obedientiae, zeli animarum, et finis nostri . . . *VOL.* Offeramus corpus nostrum quasi in holocaustum Deo, cui tamquam fini nostro servire debemus, et eligamus potius dolores et infirmitates, quando fini nostro ita expedit. *Nos infirmi, vos autem fortes*, dicebat Apostolus, 1. Cor. 4. et alibi, *Per infirmitatem carnis*, inquit, *evangelizavi vobis*, Gal. 4., excitemus nos hisce ad eligendum . . .

PVNCT. II. — *Divitiae et paupertas.* — *MEM.* Recolamus quae ante de his meditati sumus . . . *INTEL.* Ratiocinemur ex praedictis necessario concludi eligendam esse paupertatem, quando magis conducit ad finem nostrum; tamen cupiditas divitiarum causa est plurimarum perversarum electionum . . . *REFL.* Examinemus an nos quoque tali cupiditate divitiarum, et commodorum iis iunctorum non fuerimus abstracti a fine nostro . . . *VOL.* Finis noster est servire Creatori nostro, et mandatis eius obtemperare: dicamus igitur cum Propheta, Ps. 118. *Dilexi mandata tua super aurum, et topazion*, et prae his illa elegi . . .

PVNCT. III. — *Honor et contemptus.* — *MEM.* Repetamus praecedentem meditationem de his duabus rebus . . . *INTEL.* Consideremus hic esse scopulum, ad quem electiones saepe franguntur et corrumpuntur. Nemo tamen sanae mentis considerans superiores meditationes iudicabit contemptum non esse eligendum quando honor abducit a fine . . . *REFL.* Cogitemus an nostrae electiones ad hunc scopulum non fuerint passae naufragium . . . *VOL.* Dicamus cum regio Propheta, Ps. 83.: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* . . .

PVNCT. IV. — *Longa et brevis vita.* — *MEM.* Repraesentemus nobis decreta praecedentium meditatio-

num . . . *INTEL.* Patet iterum liquido vitam potius perdendam, et eligendam mortem, quam ut contra finem creationis nostrae faciamus . . . *REFL.* Videamus an prae nimio vitae amore saepius electio nostra turbata non fuerit . . . *VOL.* Cum S. Francisco Xaverio reddamus nobis familiarem hanc Christi vocem: *Qui perdiderit animàm suam propter me, inveniet eam*, Matth. 10. . . .

COL. Petamus a Deo donum *consilii*, ut per electiones nostras recta ad finem creationis nostrae tendamus . . .

RECOLLECTIO.

Hactenus de Fundamento, cui innituntur omnia Exercitia. Nunc incipiunt meditationes Hebdomadae primae proprie dictae.

PRIMAE HEBDOMADAE
MEDITATIONES

MEDITATIO I. EXERCITIVM de triplici peccato (Lib. Exerc. pag. 85.).
II. EXERCITIVM de peccatis propriis (Ibid. 93.).
III. REPETITIO primi et secundi Exercitii (Ibid. 96.).
IV. REPETITIO iterata tertii Exercitii (Ibid. 98.).
V. EXERCITIVM de inferno per Applicationem sensuum (Ibid.).

Quinque prima haec Exercitia huius Hebdomadae hic non repetimus; sunt enim satis explicata in ipso libro *Exercitiorum* (pag. 85. et seqq.), praesertim si legantur junctae *Explanationes*. Itaque transibimus ad Meditationem sextam: Repetitiones tamen (quam-

vis nullatenus sint omittendae) deinceps in numero Meditationum non reponemus; satis patet quomodo illae ad normam S. P. N. fieri debeant.

Quoniam vero in *Explanatione* subiecta *tertio orandi modo* (Lib. Exerc. pag. 237. et seqq.) tria genera Meditationum *primae Hebdomadae* notavimus a S. P. N. esse data; primum, cum tres animae potentiae exercentur ad singula puncta, ut fit in *Exercitio* I.; alterum, cum quaedam puncta potissimum soli memoriae, quaedam intellectui, quaedam voluntati attribuuntur, ut fit in *Exercitio* II.; tertium, consistens in quadam sensuum applicatione, ut fit in *Exercitio* V.; nos deinceps per huiusmodi ternarios ordines progrediemur: facile autem erit unicuique post duas cuiusque ternarii meditationes interponere unam, vel duas repetitiones; et sic totidem quaternarios, vel quinarios ordines habebit, qui in secessu Exercitiorum annuo uno die absolventur; extra illum secessum in decursu anni potest quivis ordo in plures dies distribui.

Ordines ipsos non numerabimus, sed unicuique Meditationi apponemus notam cuius sit Generis hoc modo: Gen. I., vel Gen. II., vel Gen. III.

MEDITATIO VI.

GEN. I.

De poenis peccati in lege naturae.

CONGR. Quomodo lex naturalis, quamvis alia non esset peccatores reos faciat.

PRAEL. I. Videre animam nostram sub lege naturali, tamquam sub severo inspectore et vindice positam.

PRAEL. II. Petere gratiam peccata ipsa cognoscendi, quanta sit foeditas et nequitia singulorum ex natura sua, si vel prohibita non essent.

PVNCT. I. — *MEM.* Interfecto Abele, dixit Domi-

nus ad Cain, Gen. 4.: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* . . . *INTEL.* Nondum erat scripta lex; *non occides*, Exod. 20.; sed erat lex nobis innata. Causa homicidii fuit quod Cain male uteretur rebus creatis in Sacrificio, et parce offerret *de fructibus terrae munera Domino*: Abel vero utens recte rebus creatis debito modo *obtulit de primogenitis gregis sui*. Hinc invidia, quod sacrificium Abelis Deo placeret: et ex hoc peccato capitali ortum homicidium. Post quod secuta est poena: *Nunc igitur maledictus eris super terram*, etc. Gen. 4. . . . *REFL.* Interrogemus quoque nos ipsos: *Quid fecisti?* et examinemus pravos rerum creatarum usus . . . *VOL.* Intime doleamus quod Dei bonitatem ita offenderimus abutendo donis ipsius, ob quae super omnia diligi meretur . . .

PVNCT. II. — *MEM.* Recordemur quomodo non obstantibus variis severis Iustitiae divinae exemplis totum genus humanum paulatim deflexerit a via salutis et finis, ad quem Deus hominem creaverat. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*, Gen. 6. . . . *INTEL.* Consideremus hominum caecitatem; non ignorabant lapsum Angelorum: sciebant poenam inflictam primis Parentibus, totique generi humano: sciebant supplicium Cain, et tamen Deum, qui ob bonitatem suam solus super omnia diligendus erat, dereliquerunt, negligentes laudem et servitium eius ad quod erant creati, ita ut communis poena inflicta fuerit: *Factumque est diluvium . . . et delevit omnem substantiam quae erat super terram, ab homine usque ad pecus*, Gen. 7. . . . *REFL.* Inspiciamus vias nostras, et videamus an etiam in multis non sint corruptae . . . *VOL.* Confiteamur Deo perversitatem viarum nostrarum. Laudemus misericordiam eius qui hactenus nobis pepercit. Dicamus cum Davide: *Cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua*, Ps. 118. . . .

PVNCT. III. — *MEM.* Recordemur post diluvium

peccata Sodomae: *Ecce haec fuit iniquitas Sodomae . . . superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum eius, et manum egeno et pauperi non porrigebant . . . et fecerunt abominationes coram me,* Ezech. 16 . . . *INTEL.* Consideremus singula, et patebit quod turpissime abusi sint Sodomitae divitiis, honore, aliisque rebus creatis contra finem creationis. Hinc justa poena: *Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de coelo, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terrae virentia,* Gen. 19 . . . *REFL.* Examinemus nos quoque in illis, in superbia, et in usu rerum caeterarum contra finem . . . *VOL.* Agnoscamus, sicut in primo Exercitio agnovimus, has poenas atque etiam aeternas juste deberi peccatis. Fateamur nos quoque reos; detestemur nostram stultitiam, quod contra Creatorem nostrum summe diligendum ita rebelles fuerimus . . .

COL. Ad Christum Crucifixum, gratias agendo quod ipse poenas, quas meriti sumus, Passione sua redemerit: excitemus interea actus verae contritionis et perfectae charitatis. . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VII.

GEN. II.

De miseriis corporis.

CONGR. Cogitare gravem sensum primorum Parentum, quando erant eiecti e Paradiso, et condemnati ad labores.

PRAEL. I. Respicere nos ipsos tamquam exules ad labores et dolores damnatos.

PRAEL. II Petere gratiam, ut ex *miseriarum corporis* consideratione perveniamus ad veram *contritionem.*

PVNCT. I. — *MEM.* In mentem revocare humani generis labores, sudores, dolores, morbos, vulnera, famem, sitim, et alia incommoda ab elementis, bestiis, et ab ipsis hominibus illata; et quomodo per tot *miserias* moriantur. . . *REFL.* Nostri corporis proprias quasdam *miserias* etiam perpendamus. . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Ratiocinemur has esse poenas peccati, etiam solius *originalis.* Dictum fuit Adamo, in eoque posteris, *In quacumque enim die comederis ex eo morte morieris,* Gen. 2. et *In sudore vultus tui vesceris pane,* Gen. 3. . . . *REFL.* Concludamus quod vel ob solum *originale* mereamur *poenas corporis,* quas patimur. . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Ratiocinemur praeterea has et majores poenas deberi peccatis nostris actualibus. Dicit Deus: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea . . . visitabo vos velociter in egestate, et ardore . . . Frustra seretis sementem, quae ab hostibus devorabitur,* Levit. 26. et *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui . . . maledictus eris . . . mittet Dominus super te famem et esuriem. . . adiungat tibi Dominus pestilentiam . . . percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et aestu, et aere corrupto etc.,* Deuter. 28. . . . *REFL.* Hinc discamus quam merito patiamur tum proprias, tum communes calamitates. . .

PVNCT. IV. — *VOL.* Agnoscamus culpam nostram, et dicamus: *Iustus es, Domine, et rectum Iudicium tuum,* Ps. 118. *Quoniam non obedivimus praeceptis tuis,* Tob. 3. quoniam tam turpiter recessimus a fine, ad quem nos creasti. . .

COL. Extollamus misericordiam Dei, dicamusque ei: *Cum iratus fueris misericordiae recordaberis,* Habac. 3. Et quia tempus dat poenitentiae, non tantum doleamus quia meremur poenas; sed maxime quia offendimus tam bonum Deum, qui tam benigne nobiscum agit. . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO VIII.

GEN. III.

De morte hominis sanitati et vitae nimis affixi.

CONGR. Cogitare verba Eccli. 14.: *Testamentum enim huius mundi morte morietur.*

PRAEL. I. Nos ipsos aspicere tamquam morti destinatos, et ad eam damnatos.

PRAEL. II. Petere gratiam ut in nobis impleatur illud Eccli. 7.: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*

PVNCT. I. — Visvs. Videre hominem cum morte luctantem; veluti Agag Regem Amalec, qui Samueli oblatus est occidendus *pinguissimus et tremens*, 1. Reg. 15, vel Antiochum quem apprehendit *dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta*, 1. Mach. 9. . . . *REFL.* Cogitemus quam tunc certo judicaturi simus, quod debuerimus esse indifferentes erga *aegritudinem, et sanitatem*, erga *longam*, et *brevem vitam*. . . *VOL.* Iudicemus nunc idem, et renovemus illa, quae de indifferentia ante meditati sumus. . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audire Agag dicentem: *Siccine separas amara mors*? 1. Reg. 15, et Antiochum qui ita ait: *Iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire*, 2. Mach. 9. . . . *REFL.* Concludamus melius esse talia nunc sentire et dicere. . . *VOL.* Ne sero tales voces cogamur proferre, nunc tota animi contentione finem ob quem creati sumus prae oculis habeamus. . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Amaritudinem gustavit Agag exclamans: *Amara mors*! Et haec oritur ex nimia adhaesione ad res creatas. . . *REFL.* Concludamus iterum indifferentiam nobis necessariam esse, ut amaritudinem illam vitemus. . . *VOL.* Convertamus nos totos ad finem nostrum, alia omnia tamquam media et instrumenta tantum considerantes. . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. De Antiocho habetur 2. Mach. 9, quod *nec ipse iam foetorem suum ferre posset* . . . *REFL.* Sciamus tunc suavem nobis fore mortem, si nunc elegerimus ea tantum quae ad finem ducunt, qualiacumque sint... *VOL.* Anhelemus, et aspiremus ad hanc recte eligendi normam, ex qua felix vitae cursus, et suavis mors dependet . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Nos ipsi sentiamus quodammodo dolores et tormenta quibus moribundorum tactus cruciatur . . . *REFL.* Concludamus insipienter commoda et delicias corporis in tactu quaeri, quando abducunt a fine. . . *VOL.* Amplectamur potius Additionis x. praescripta (Lib. Exerc. pag. 108.) et dicamus cum Apostolo *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*, 1. Cor. 9.; tunc morienti leviores erunt dolores a tactu. . .

COL. Ad Christum in Cruce morientem, per dolores mortis ipsius petendo gratiam *indifferentiae* et *bonae electionis*, et *mortem felicem*.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IX.

GEN. I.

De transgressoribus primae Tabulae scriptae.

CONGR. De eo qui sibi male conscius de mandatis acceptis Regi rationem dare debet.

PRAEL. I. Quomodo Exod. 19. et 20. Deus dederit *Praecepta* in Tabulis scripta cum terrore; *Ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis*, Exod. 20.

PRAEL. II. Petere gratiam cognoscendi delicta contra haec *Praecepta*, et emendandi.

PVNCT. I. — *MEM. Ego sum Dominus Deus tuus* ... *Non habebis Deos alienos coram me*, Exod. 20. Praeceptum primum. Filii Israel adoraverunt vitulum, Exod. 32., et *Fecerunt vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile*, Ps. 105. . . *INTEL.* Creatus est homo

ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur; praecipua laus et reverentia consistit in adoratione et cultu latriae. Hunc cultum dederunt rei creatae; atque ecce poena: confractae sunt Tabulae testimonii, *cecideruntque in die illa*, mandante Moyse, *quasi viginti tria millia hominum*, Exod. 32. . . . *REFL.* Consideremus an nos quoque contra primum praeceptum non peccaverimus certo modo: *Hoc enim scitote intelligentes*, inquit Apostolus Eph. 5, *quod omnis fornicator*, *aut immundus*, *aut avarus*, *quod est idolorum servitus* etc. . . . *VOL.* Accusemus nos de eiusmodi idolorum servitute, Deumque solum deinceps adoremus, aestimemus, amemus super omnia, omnemque laudem ei tribuamus. . .

PVNCT. II. — *MEM. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, Exod. 20. Praeceptum secundum. . . *INTEL.* Creatus est homo ut Deum *revereatur*, cui maxime repugnat irreverenter nomen Dei assumere, et blasphemare: merito ideo statutum est, Lev. 24. : *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo*, *sive ille civis sive peregrinus fuerit* . . . *REFL.* Inquiramus an per nos, vel per alios nomen Dei non affecerimus blasphemia. Nam Apostolus Rom. 14. dicit; *Non ergo blasphemetur bonum nostrum*, male scilicet utendo cibo et potu: et ad Tit. 2. praescribit prudentiam, castitatem, sobrietatem etc. *ut non blasphemetur verbum Dei*. . . *VOL.* Excitemus zelum illam Dei irreverentiam non modo in nobis, sed etiam in aliis impediendi. . .

PVNCT. III. — *MEM. Memento ut diem Sabbati sanctifices*, Exod. 20. Praeceptum tertium. . . *INTEL.* Creatus est homo, ut Deo *serviens tandem salvus fiat* (Lib. Exerc. pag. 71.). Servire est mandatis obtemperare. Quidam non obtemperarat, sed collegerat ligna Sabbato: *Et dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra*, Num. 15. . . . *REFL.* Hinc concludamus

quia Dominicis et Festis, si unquam, fini nostro diligenter satisfaciendum est, graves poenas post mortem subeundas, si diebus illis non servierimus Deo ex toto corde, et violaverimus praeceptum... *VOL.* Animos concipiamus excitando primum nos, deinde alios ad bene Deo serviendum; obtemperando iis quae spectant ad hoc praeceptum...

COL. Ad Christum Crucifixum qui, ut tam temporales quam aeternas poenas a nobis removeret, tam diram mortem subiit; petendo gratiam ut per poenitentiam *interiorem verae contritionis*, et *exteriorem* iuxta Addit. x. (Lib. Exerc. pag. 108.) Hebdom. primae pro peccatis nostris potius in hac vita satisfaciamus.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO X.

GEN II.

De vulnere Ignorantiae in intellectu.

CONGR. Cogitare quanta sit miseria hominis caecutientis, et anxie semper incedentis.

PRAEL. I. Aspicere animam nostram in corporis tenebricoso carcere constrictam.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut per poenam *ignorantiae* saltem in peccata non deducamur.

PVNCT. I. — *MEM.* Summatim menti nostrae obiiciamus percurrendo varias scientias, quam pauca in singulis sciamus, quanta ignoremus.

PVNCT. II. — *INTEL.* Comparemus hanc exiguam nostram scientiam cum scientia omnium hominum, Angelorum, ac denique cum infinita scientia Dei... *REFL.* Post haec respiciamus nos tamquam abyssum ignorantiae et caecitatis...

PVNCT. III. — *INTEL.* Consideremus hanc caecitatem per peccatum Adami nobis obvenisse. *Ignorantia* vero alia est poena peccati tantum; alia etiam

peccatum et causa peccati, quando nostra culpa non superatur. . . *REFL.* Cogitemus quoties per desidiam nostram ex ignorantia lapsi simus. . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Illa vero miserrima est *ignorantia*, qua ignoramus innumerabilia nostra peccata, offensiones, et negligentias, neque eorum satis recordamur: item illa, qua actus nostros ex naturali motivo ortos saepe pro supernaturalibus aspicimus; qua nescimus quid agere debeamus ut praecaveamus futura; qua denique ea, *quae in prospectu sunt*, *invenimus cum labore*, Sap. 9., ubi haec miseria pluribus describitur. . . *REFL.* Consulamus hic propriam experientiam. . .

PVNCT. V. — *VOL.* Humiliemus nos coram Deo et dicamus : *Lumen oculorum meorum*, *et ipsum non est mecum*, Ps. 37. . . .

COL. Ad Christum crucifixum qui est sapientia aeterna, petendo donum *scientiae* in tantis tenebris, et gratiam ut saltem vitare possimus peccata; *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte* Ps. 12. . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XI.

GEN. III.

De morte Divitis et Honorati.

CONGR. Cogitare; *Quid enim prodest homini*, *si mundum universum lucretur*? etc., Matt. 16.

PRAEL. I. Videre animam nostram quasi ergastulo conclusam, et insuper cupiditate *divitiarum* et *honorum* ligatam.

PRAEL. II. Petere lumen ut cognoscamus, quanta malitia sit ob fluxas *divitias* et *honores* deserere suum finem, et Deum suum offendere.

PVNCT. I. — VISVS. Videamus hominem inter thesauros *divitiarum*, et amicos a quibus *honorabatur*, luctantem cum morte. . . *INTEL.* Ratiocinemur quod

aspectus auri, argenti, etc. qui illum ante delectabat, nunc cruciet . . . *REFL.* Concludamus quod nos maneat similis cruciatus, si nunc non simus indifferentes ad res illas . . . *VOL.* Statuamus illas non aliter aspicere, quam tamquam media ad finem . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audiamus illum hominem dicentem: *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccli. 41. *INTEL.* . . . Si sola memoria mortis virum *divitem* et *honoratum* ad talia suspiria adigat, quid faciet mors imminens? . . . *REFL.* Respiciamus nos ipsos, an non tacite talia in nobis suspiria sentiamus . . . *VOL.* Dicamus potius nunc de *divitiis* et *honoribus*: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas*, Eccl. 1. . . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Gustemus quodammodo amaritudinem, quam sentit miser ille . . . *INTEL.* Si enim memoria, ut vidimus, amara est; multo amarior erit mors, qua cogitur omnia deserere . . . *REFL.* Praestat igitur nos nunc ab illis rebus avellere . . . *VOL.* Abominemur *avaritiam* et *superbiam*, quae tam amaros fructus proferunt . . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Percipiamus graveolentiam et foetorem, quem moriens ille haurit ex suis *divitiis*, et *honoribus* . . . *INTEL.* *Nam divitiae vestrae putrefactae sunt*, dicitur Jacob. 5. *et gloria ejus stercus et vermis*, 1. Mach. 2. . . . *REFL.* Concludamus quam stulte egerimus si ob res tam viles salutem nostram, et obsequium Dei neglexerimus . . . *VOL.* Doleamus de nostra illa caecitate, et deinceps illam Christi vocem sequamur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur*, Matth. 6. . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Sentiamus quodammodo quam gravis tunc sit tactus *divitiarum*, etc. quae violenter deseri debent . . . *INTEL.* Nam cum in omnibus, quae fiunt sub Sole, *sit labor et afflictio spiritus*, Eccl. 1., tunc illa afflictio crescet, et labor anteactus maiorem afferet sensum . . . *REFL.* Nos ipsi experiamur quam gravem sensum excitet, si vel mente attingamus

ea quae cum dolore amittimus . . . *VOL.* Sequamur monitum Apost. Colos. 2.: *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi* . . . *Ne tetigeritis*, *neque gustaveritis*, *neque contrectaveritis quae sunt omnia in interitum*, etc.

COL. Ad Christum crucifixum interrogando eum, cur in Cruce tantam *paupertatem* et tantam *ignominiam* passus sit? haud dubie propter peccata nostra; quia per sensus nostros *divitias* et *honores* praetulimus obsequio eius. Effundamus nos in actus contritionis, et petamus gratiam ad *divitias* et *honores* non sectandum, nisi ad eius laudem, reverentiam, et servitium . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XII.

GEN. I.

De transgressoribus quarti, quinti, sexti et septimi Praecepti.

CONGR. De eo, qui sibi male conscius de mandatis acceptis Regi rationem dare debet.

PRAEL. I. Quomodo in monte Sina cum terrore data sint Praecepta, ut timor transgressionem impediret.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut timor *peccata* coërceat, ac veram *charitatem* et *contritionem* introducat.

PVNCT. I. – *MEM. Hónora patrem tuum et matrem tuam*, Exod. 20. Praeceptum quartum. *Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur*, Levit. 20. . . . *INTEL.* Haec est poena peccantium in hoc Praeceptum, quo comprehenduntur etiam *Superiores* quos Parentum loco habere debemus. Hinc Num. 16. septingenti supra quatuordecim millia igne absumpti sunt, quia murmuraverant contra Moysen et Aaron... *REFL.* Examinemus nos super hoc Praecepto . . . *VOL.* Decernamus in nobis et in aliis hoc Praeceptum promo-

vere, nobisque atque etiam aliis verbo et exemplo in memoriam revocare illud monitum Apostoli Hebr. 13. *Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes, hoc enim non expedit vobis . . .*

PVNCT. II. - *MEM. Non occides.* Praeceptum quintum. *Non moechaberis.* Exod. 20. Sextum. David violavit quintum in Uria, et sextum cum Bethsabee . . . *INTEL.* Mox Deus per Nathan denuntiavit poenam 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum . . . Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua . . . Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Et haec erant praeambula suppliciorum aeternorum, nisi David fecisset poenitentiam . . . *REFL.* Examinemus nos super utroque Praecepto . . . *VOL.* Si imitati fuerimus peccantem imitemur poenitentem, et excitemus in nobis affectus ex Psalmis *poenitentialibus* . . .

PVNCT. III. - *MEM. Non furtum facies,* Praeceptum septimum, Exod. 20. Achan furatus erat pallium coccineum, etc. . . *INTEL.* Dixit illi Iosue: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac, lapidavitque eum omnis Israel, etc.* Iosue 7. Ratiocinemur quoque detractionem esse speciem furti, quando alteri minuimus et eripimus aestimationem . . . *REFL.* Inquiramus an non simus rei huius Praecepti violati? . . *VOL.* Dicamus cum Davide Psal. 100. *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.* Atque in primis per fructus dignos poenitentiae persequamur nos ipsos, si cui rem aut honorem minuerimus, aut furati fuerimus . . .

COL. Ad Christum crucifixum, gratias agendo pro patientia et misericordia ejus tolerantis hominum malitiam, qui post tot flagella non cessant illum offendere, petendo interim nobis aliisque gratiam *verae poenitentiae* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIII.

GEN. II.

De difficultate sive infirmitate, quae est in intellectu, voluntate etc.

CONGR. Quomodo infirmus debeat se convertere ad Medicum, et auxilium alterius.

PRAEL. I. Considerare se, ut infirmum et vulneratum in corpore, in intellectu, et in voluntate.

PRAEL. II. Petere lumen cognoscendi *infirmitatem* nostram, et gratiam *sanitatis*.

PVNCT. I. — *MEM.* Numeremus si possimus vices, quibus decrevimus declinare ab aliquo malo, vel facere aliquod bonum; et quoties decretum illud etiam statim a concepta bona mente violaverimus . . . . .

PVNCT. II. - *INTEL.* Consideremus, postquam contra superbiam, contra iram (idem est de caeteris peccatis capitalibus) nos muniverimus, quam tenuis causa et levis occasio nos saepe deiiciat . . .

PVNCT. III. - *INTEL.* Perpendamus hanc infirmitatem oriri ex fomite peccati, hoc est ex *carnis*, *sensuum*, *amorisque proprii et mundani rebellione*. (Lib. Exerc. pag. 46.). Hi quatuor hostes semper nobis insidiantur . . .

PVNCT. IV. - *INTEL.* Sciamus in contemplatione *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 116.), ubi hostes dicti quatuor enumerantur, supponi in Hebdomada prima rebellionem horum esse expugnatam. Id enim necessarium est, si in Hebdomada secunda velimus sequi Christum . . . .

PVNCT. V. - *VOL.* Agnoscamus fragilitatem nostram, dicamus cum affectu contritionis: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum*, Ps. 6. *Non est sanitas in carne mea.* Psalm. 37. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam*, Job. 13. *Quoniam*

servus tuus sum ego . . . homo infirmus et exigui temporis, Sap. 9. . . .

COL. Ad Christum crucifixum, implorando remedium et medicinam tam miserae *fragilitati*: nam ille solus potest juvare. *Domine, salva nos, perimus* Matth. 8. . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XIV.

GEN. III.

De Iudicio particulari.

CONGR. Quomodo reus soleat esse anxius, quando Iudici sistendus est.

PRAEL. I. Considerare nos ipsos ex hoc ergastulo corporis ad Deum *Iudicem* educendos.

PRAEL. II. Petere gratiam talis poenitentiae, qualem tunc optaremus fecisse.

PVNCT. I. — Visvs. Videamus animam jam corpore destitutam solam ante *Dei tribunal* constitutam . . . *INTEL.* Ibi rationem dare debebit de usu tum corporis sui, tum caeterarum rerum creatarum. Concludamus melius esse nunc severum de nobis iudicium instituere. *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur* 1. Cor. 11. . . . *REFL.* Cogitandum quomodo hactenus id fecerimus . . . *VOL.* Timorem concipiamus illius Dei vocis: *Ego iustitias iudicabo*, Psal. 74. Quid erit de iniquitate? . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audiamus vocem animae illius: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sap. 5. . . . *INTEL.* Hoc est a via qua eundum erat ad finem creationis . . . *REFL.* Examinemus vias nostras . . . *VOL.* Dicamus nunc cum Propheta: *Viam veritatis elegi*, Psal. 118. *Cogitavi vias meas et converti pedes meos in testimonia tua* . . . Ibidem.

PVNCT. III. — Gvstvs. Coniungamus gustum no-

strum cum amarissimo gustu animae illius *prae angustia spiritus gementis* Sap. 5. . . *INTEL.* Ratiocinemur illam acerbitatem provenire ex peccatis; *peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem* Iac. 1. *Post hoc autem iudicium*, Hebr. 9. Quae omnia sunt amarissima . . . *REFL.* Cogitemus nos stulte non vitare mortem peccati, si velimus vitare amaritudinem istius *Iudicii* . . . *VOL.* Sequamur deinceps Apostoli monitum: *Ne quis desit gratiae Dei*, *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat* Hebr. 12. . . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Tunc sentit anima illa id quod habetur Is. 3. *Erit pro odore foetor* . . . *INTEL.* Ratiocinemur hunc foetorem oriri ex corruptione viarum ad finem, et ex peccatis; quae gravius afficiunt Deum *Iudicem*, quam ullus foetor . . . *REFL.* Inspiciamus corruptionem animae nostrae per peccata . . . *VOL.* Iuxta Exercitium II. huius Hebdomadae in spiritu humilitatis et contritionis *inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animae atque corporis foeditatem; ac me tamquam ulcus sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum labes defluxerit* (Lib. Exerc. pag. 94.). Again nunc poenitentiam ut in *die Iudicii* Christi bonus odor esse possim. . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Perpendamus animam illam, statim ut *Iudici* sistitur, quasi tangere ignem illum quo cruciánda est . . . *INTEL.* Concludamus melius esse nunc quodammodo tangere illum ignem, ut nos a peccando deterreat . . . *REFL.* Cogitemus quomodo hactenus memores fuerimus *gehennae ignis*, Mat. 5. quam tamen Christus toties nobis ob oculos posuit . . . *VOL.* Cum fide viva deinceps recordemur verborum Christi, et ne in *Iudicio* compareamus rei ignis inextinguibilis, iuxta Reg. IV. *posterioris Modi eligendi*; debemus *prospicere non minus quando pro tribunali sistar judicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem*, etc. (Lib. Exerc. pag. 186.). . . .

COL. Ad Christum crucifixum, ipsius misericordiam extollendo qui tot modis nos a peccando vult liberare; contritionem excitando, quia charitas foras mittet timorem illius *Iudicii* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XV.

GEN. I.

De transgressoribus octavi, noni, et decimi Praecepti.

CONGR. De eo qui sibi male conscius de mandatis acceptis Domino suo rationem dare debet.

PRAEL. I. Considerare terrores minaces cum quibus *Praecepta* sunt data in monte Sina.

PRAEL. II. Petere gratiam cognoscendi, et extirpandi peccata contra haec *Praecepta.*

PVNCT. I. – *MEM. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*, Exod. 20. Praeceptum octavum. De falso testimonio legitur Deut. 19. *Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit; et auferes malum de medio tui, ut audientes caeteri timorem habeant* . . *non misereberis eius*, etc. . . *INTEL.* Perpendamus verba singula, et sciamus quod ea quae contra proximum male agimus, proportionata poena certo aliquando sint punienda . . . *REFL.* Examinemus peccata contra proximum . . . *VOL.* Dicamus cum affectu: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? . . . qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum*, etc. Psal. 14. Doleamus de talibus peccatis . . .

PVNCT. II. — *MEM. Non concupisces uxorem proximi tui*, Deut. 5. Praeceptum nonum. Duo senes *exarserunt in concupiscentiam* Susannae, *et dixit ad eos Daniel: Manet enim Angelus Domini gladium habens, ut . . . interficiat vos*, etc. Daniel. 13. . . . *INTEL.* Perpendamus has poenas temporales esse quasi figuras poenae aeternae, quibus Deus nos a peccando absterret . . . *REFL.* Concludamus etiam periculum

concupiscendi vitandum esse . . . *VOL.* Dicamus cum Iob. cap. 31. *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* . . .

PVNCT. III. — *MEM. Non concupisces domum proximi tui etc.* Exod. 20. Praeceptum decimum. Rex Achab concupierat vineam Naboth contra hoc Praeceptum . . . *INTEL.* Consideremus quanta peccata ex hac concupiscentia orta sint etiam homicidii, ut merito Deus per Eliam Achabo dixerit: *Canes . . . lambent quoque sanguinem tuum.* Et de uxore ejus; *canes comedent Iezabel in agro Iezrahel*, 3. Reg. 21 . . . *REFL.* Concludamus quantopere nobis cavendum sit a concupiscentia rei alienae; nam *concupiscentia cum conceperit parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem* . . . Jacob. 1. *VOL.* Optemus et imploremus fructus illos Spiritus Sancti, qui sunt *continentia* et *castitas*; per hos enim bene observabuntur ultima duo *Praecepta* . . .

COL. Ad Christum crucifixum, petendo gratiam deinceps *bene observandi omnia Praecepta*, et ad id postulando *dona* et *fructus* Spiritus Sancti, excitando *contritionem* de peccatis ante actis . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVI.

GEN. II.

De rebellione carnis.

CONGR. Quomodo quis in medio hostium positus *cum metu et tremore* soleat saluti invigilare.

PRAEL. I. Considerare nos in medio quatuor hostium positos, scilicet *carnis*, *sensuum*, *amorisque proprii, et mundani* (Lib. Exerc. pag. 116.).

PRAEL. II. Petere gratiam expugnandi *rebellionem* illorum hostium.

PVNCT. I. — *MEM.* Ob oculos ponamus multitudinem et gravitatem peccatorum, quae tum cogitatio-

ne tum opere fiunt, et oriuntur ex *carnis rebellione* . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Ratiocinemur merito 1. Ioan. 2. primo loco in descriptione mundi sic positum fuisse: *concupiscentia carnis:* et a S. P. nostro in Contemp. *Regni Christi* inter quatuor hostes primo loco nominatam *carnis rebellionem* (Lib. Exerc. pag. 116.) . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Consideremus singulas , ut vocant, *Luxuriae filias;* quae sunt hae. In *intellectu*. 1. *Caecitas mentis* quae de caelestibus non cogitat. 2. *Praecipitatio* quae agit sine consilio. 3. *Inconstantia* quae voluptatis causa a propositis bonis deficit. *In voluntate:* 1. *Amor sui* qui seipsum statuit finem suarum actionum. 2. *Odium Dei,* nam lascivus a Deo abhorret. 3. *Affectus praesentis saeculi.* 4. *Horror futuri saeculi* . . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Concludamus quanto iure in Scripturis tam graviter prohibeatur hoc peccatum. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Rom. 13. *Abstineatis vos a fornicatione.* 1. Thess. 4. *Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis.* 1. Pet. 2. , et pluribus aliis locis . . .

PVNCT. V. — *VOL.* Horreamus tam foedum et perniciosum hostem; doleamus si quae fuerit ante ignavia; et vera contritione eam eluamus: animos comparemus ad *rebellionem illam* cum Dei gratia penitus expugnandam . . .

COL. Admiremur Dei patientiam, quae tot scelera sustinet; extollamus eius misericordiam, quod iterum diluvio vel aliter non perimat peccatores. Possumus enim de multis dicere etiam nunc: *omnis quippe caro corruperat viam suam.* Gen. 6. Petamus gratiam *rebellionem illam expugnandi* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XVII.

GEN. III.

De extremi Iudicii signis remotis.

CONGR. Quomodo Rex vere clemens saepius suos moneat de futuro *Iudicio*, ut mitius iudicentur.

PRAEL. I. Ob oculos ponere vallem Iosaphat, *ubi* tempore nobis non noto *Iudicium* publicum fiet.

PRAEL. II. Petere gratiam ut praeviis signis futuri *Iudicii* moveamur ad peccata vitanda.

PVNCT. I. Visvs. Oculis nostris repraesentemus bella, pestilentiam, famem, et terraemotus, quibus homines passim in variis Orbis partibus affliguntur . . . *INTEL.* Perpendamus quod Christus de illis signis dixerit, Matt. 24. *Haec autem omnia initia sunt dolorum* . . . *REFL.* Cogitemus an haec aspexerimus tamquam initia dolorum . . . *VOL.* Deploremus caecitatem nostram; et deinceps illa intueamur tamquam praemonitiones et signa futuri *Iudicii* . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audiamus suspiria, gemitus, et eiulatus hominum fame, peste, bello, et terraemotibus oppressorum . . . *INTEL.* Ratiocinemur, quamvis *haec initia sint dolorum*, quomodo tamen homines non loquantur de ira ventura, sed de rebus vanis et perituris? . . . *REFL.* Consideremus sermones nostros, an etiam vani non sint? . . . *VOL.* Dicamus ad Deum qui nos creavit ad finem tam sublimem: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, Ps. 118 . . . et statuamus terrere per haec signa futuri *Iudicii* primum nos ipsos, ac deinde etiam alios peccatores . . .

PVNCT. III. Gvstvs. Gustemus lacrymas, et interiorem hominum sensum et afflictionem cordis inter tot adversa, quae monent nos quod *omnia initia sint dolorum* . . . *INTEL.* Applicemus illa verba Christi: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit adventus Filii hominis: sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes*

et bibentes etc., Matt. 24. Nam etiam nunc inter tot amaritudines student homines gustui in cibo et potu . . . *REFL.* Respiciamus nos an non simus similes illis, qui fuerunt ante diluvium? . . . *VOL.* Nos potius servemus regulas *de victu temperando*, imo ut satisfaciamus pro peccatis nostris servemus Additionem x. Hebd. primae *de poenitentia in victu*. (Lib. Exerc. pag. 108.) . . .

PVNCT. IV. — ODORATVS. Percipiamus quodammodo foetorem, qui ex multitudine peccatorum oritur ante Deum . . . Ratiocinemur quod sicut ante diluvium *omnis quippe caro corruperat viam suam*, Gen. 6., ex hac corruptione oriatur putredo ante Deum . . . Circumspiciamus nos an etiam vias nostras, per quas ad finem tendere debeamus, non corruperimus? . . . *VOL.* Excitemus dolorem et contritionem de peccatis nostris, et eam offeramus Deo *in odorem suavitatis*. Exod. 29. . . .

PVNCT. V. TACTVS. Tangamus quodammodo vulnera et mala quae oriuntur ex terraemotu, peste, fame, et bello . . . *INTEL.* Iterum sicut ante diluvium erant *nubentes et nuptui tradentes usque ad eum diem, quo introivit Noè in arcam; et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes*, Matt. 24.; ita perpendamus nunc quoque fieri . . . *REFL.* Videamus an non simus ex illis qui cum versemur inter tot mala, quibus tanguntur homines, studemus tamen sensui tactus, nihil de tot malis et de maioribus secuturis cogitantes? . . *VOL.* Agnoscamus nos merito tot malis moneri de futura ira. *Multa flagella peccatoris*, Ps. 31. Sed nos memores *Iudicii* futuri mortificemus sensum tactus iuxta addit. x. Hebd. 1 . . .

COL. Ad Christum Crucifixum, petendo gratiam ut tot flagella generis humani prosint mihi ad *vitanda peccata*, et ad faciendos *fructus dignos poenitentiae* . . .

RECOLLECTIO. . .

MEDITATIO XVIII.

GEN. I.

De poenis peccatorum in Lege gratiae.

CONGR. Quantopere coram Iudice confundi debeat reus, quando Iudex tam paterne processit monitionibus, minis, aliorum exemplis reum terrendo ne delinqueret.

PRAEL. I. Statuere nos reos coram ipso Iudice, qui in Lege naturae et scripta tot modis voluit nos a peccatis absterrere.

PRAEL. II. Petere gratiam agnoscendi *paternam bonitatem*, et *filialis doloris ac contritionis*.

PVNCT. I. — *MEM.* Dixit Ioannes de Christo: *Permundabit aream suam et congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili*, Matt. 3 . . . *INTEL.* Paleae sunt qui, neglecto fine creationis, peccando abutuntur rebus creatis; ne autem in ignem illum incidamus praemonet nos per suum Praecursorem . . . *REFL.* Inquiramus de nobis ipsis an triticum simus, an vero palea? . . . *VOL.* Intime dolentes de peccatis dicamus cum Ecclesia, *Preces meae non sunt dignae, sed tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne* . . .

PVNCT. III. — *MEM.* Christus urbi Ierosolymitanae praedixit, *Ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem*, Luc. 19 . . . *INTEL.* Perpendamus causam huius poenae: *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* Perpendamus item quam *paterna* imo *materna* fuerit haec visitatio: *Quoties*, inquit Matt. 23. *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* . . . *REFL.* Cogitemus quoties Christus nos simili modo visitaverit idque tot modis . . . *VOL.* Totos nos effundamus in actus *perfectae charitatis* et *contritionis*.

Nam augetur peccati nostri malitia ex *tanta bonitate* . . .

PVNCT. III. — *MEM.* Ananias et Saphira subita morte puniti sunt ad verba Petri, Act. 5 . . . *INTEL.* Sciamus causam fuisse; quia ausi fuerunt fraudare *de pretio agri* . . . *REFL.* Nos ipsos examinemus an non similiter faciamus violando *vota Religionis* ? . . . *VOL.* Simus cauti in futurum, et renovemus vota nostra cum zelo eadem bene servandi . . .

COL. Ad Christum Crucifixum excitando affectus *contritionis*, *amoris*, *fiduciae* etc. implorando misericordiam et gratiam . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIX.

GEN. II.

De rebellione sensuum

CONGR. Quomodo qui in medio hostium positus est saluti suae invigilet cum metu et tremore.

PRAEL. I. Considerare nos in medio quatuor hostium *carnis*, *sensuum*, *amoris proprii*, *et mundani*.

PRAEL. II. Petere gratiam expugnandi *rebellionem* istorum hostium . . .

PVNCT. I. — *MEM.* Occurrant animo non tantum innumerabiles cogitationes quae intrant per sensus, et distrahunt atque abstrahunt mentem a rebus divinis et a virtute; sed gravissima et varii generis peccata, ad quae homines inducuntur per *visum*, *auditum*, *gustum*, *odoratum*, et *tactum* . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Perpendamus malitiam et pravitatem eiusmodi peccatorum; sensus enim quinque dati sunt homini, *ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur*, *eique serviens tandem salvus fiat* (Lib. Exerc. pag. 71.): contra hunc finem fiunt rebelles sensus illi, et hominem in devia trahunt . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Ante consideravimus *Lu-*

xuriam cum suis filiabus, ut loquuntur Auctores: consideremus hic duo alia capitalia peccata cum suis filiabus. Ex *Avaritia* quae merito vocatur *concupiscentia oculorum*, 1. Ioan. 2., nascitur 1. *Obduratio cordis* sive defectus misericordiae erga egenos, et durities erga debitores. 2. *Inquietudo cordis* cum inani timore perdendi. 3. *Violentia.* 4. *Fallacia* sive dolus in verbis. 5. *Fraus* sive dolus in facto. 6. *Proditio* sive deceptio contra fidem datam vel debitam cum alterius damno. Ex *Gula*, quae est *rebellio gustus*, nascitur in *Anima* 1. *Hebetudo mentis*, ut v. g. non possit orare. 2. *Inepta laetitia*, quae excitat ad turpes cantiones et actus. 3. *Multiloquium*. 4. *Scurrilitas* in verbis et gestibus. In *Corpore* 1. *Immunditia*. 2. *Vomitus*. 3. *Seminis effusio* . . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Recenseamus etiam filias *Irae* quae accenditur dum *aliquid fit sensibus contrarium*. Ex *Ira* nascitur in *corde* 1. *Indignatio*. 2. *Tumor mentis* qua morose excogitatur vindicta. In *ore* 1. *Clamor*. 2. *Blasphemia*. 3. *Contumelia*. 4. *Maledictio*. In *opere* 1. *Rixae*. 2. *Pugnae*. 3. *Seditiones*. 4. *Vulnera*. . .

PVNCT. V. — *VOL.* Hisce bene perpensis dicere possumus vere et clamare ad Deum: *Inimici mei animam meam circumdederunt*, Ps. 16. *Sub umbra alarum tuarum protege me*, ibid. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*, Ps. 39. Agnoscamus infirmitatem nostram et diffidamus nobis, et eliciamus actus fiduciae quibus Scriptura abundat . . .

COL. Ad Christum crucifixum, petendo per dolores, quos habuit in omnibus *sensibus*, gratiam ad *rebellionem sensium* expugnandam . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XX.

GEN. III.

De signis propinquis extremi Iudicii.

CONGR. Quomodo reus soleat turbari, quando carcer commovetur, ut educatur ad Iudicium.

PRAEL. I. Repraesentare nobis vallem Iosaphat locum *extremi Iudicii.*

PRAEL. II. Petere gratiam, ut poenitentiae fructus faciamus antequam *dies ille irae* veniat.

PVNCT. I. — Visvs. Conspiciamus id quod describitur, Matt. 24. *Sol obscurabitur, et Luna non dabit lumen suum, et Stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur* . . . *INTEL.* Concludamus quantus terror sit tunc futurus . . . *REFL.* Docet nos experientia quod dum peccavimus non satis memores fuerimus illius *venturi diei* . . . *VOL.* Statuamus observare illud Eccli. 7. tamquam nobis ipsis dictum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis* . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audiamus quoque quod scribitur Luc. 21.: *Erit in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum.* Item illud Luc. 23. *Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos; et collibus, operite nos* . . . *INTEL.* Ratiocinemur circa illa verba, Luc. 21. post descriptum sonitum maris: *Arescentibus*, inquit, *hominibus prae timore* . . . *REFL.* Concludamus de nobis ipsis quod melius sit nunc illo timore concuti, quam tunc . . . *VOL.* Proinde sonitus ille nunc potius occupet aures nostras, et nos a peccato absterreat . . .

PVNCT. III. Gvstvs. Gustemus lacrymas et desolationem peccatorum illo tempore. Nam *usque ad supremum desolabuntur,* Sap. 4. . . . *INTEL.* Perpendamus causam tam amarae desolationis, quae describitur Ierem. 2. *Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide quia malum et amarum est re-*

liquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Exercituum . . . *REFL.* Examinemus nos ad illa verba . . . *VOL.* Renovemus omnes affectus indifferentiae eligendi consentanea etc. prout in *Fundamento* (Lib. Exerc. pag. 77.) . . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Praesentiamus illud quod Dominus dicit, Ezech. 32.: *Et irrigabo terram foetore sanguinis tui super montes, et valles implebuntur ex te . . . omnia luminaria coeli moerere faciam super te* . . . *INTEL.* Causa foetoris est, quia *corrupti sunt et abominabiles facti sunt* . . . *sepulchrum patens est guttur eorum*, Ps. 13. . . . *REFL.* Inspiciamus an talis corruptio non sit in nobis? . . . *VOL.* Clamemus ad Dominum: *Sana animam meam quia peccavi tibi*, Ps. 40. Sana me a putredine et sanie peccatorum . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Imaginemur nobis tormentum *tactus*, quando quocumque se vertent, unusquisque prae dolore clamabit *Quia manus Domini tetigit me*, Iob. 19 . . . *INTEL.* Ratiocinemur quam stultum sit nunc pascere sensum *tactus* auro, argento, aliisque rebus creatis, de quibus est dictum: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quae sunt omnia in interitum ipso usu*, Coloss. 2 . . . *REFL.* Cogitemus quoties per *tactum* a fine nostro abducti simus . . . *VOL.* Doleamus et contritionem excitemus quod tam bonum Dominum deseruerimus, qui praemonet nos terrore *illius diei* ne per *tactum* intereamus . . . *COL.* Ad Christum crucifixum, petendo gratiam ut terrore illius *supremi diei* vigilemus, et oremus ne nunc intremus in tentationem . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXI.

GEN. I.

De Filio Prodigo.

CONGR. Quantopere multi exules anhelaverint ad patriam et ad paternam domum.

PRAEL. I. Aspicere se tamquam exulem in hac valle lacrymarum.

PRAEL. II. Petere a Deo *spiritum compunctionis* et *poenitentiae verae*.

PVNCT. I. — *Status peccati* — *MEM. Peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit bona sua vivendo luxuriose*: missus est, *ut pasceret porcos* etc., Luc. 15. . . . *INTEL.* Longinqua regio est quando procul deviamus a fine; ibi tunc ducitur vita bestiarum, *sicut canis reversus ad suum vomitum; et sus lota in volutabro luti.*, 2. Pet. 2. . . . *VOL.* Deploremus statum hunc; et dicamus nobis ipsis, *quia tu es miser et miserabilis et caecus et nudus.* Apoc. 3. Agnoscamus culpam nostram, qua eo pervenimus . . .

PVNCT. II. — *Status poenitentiae.* — *MEM. In se autem reversus dixit: quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo: surgam, et ibo ad Patrem meum . . . et surgens venit ad Patrem suum . . . dixitque ei filius: Pater, peccavi in coelum, et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus*, Luc. 15. . . . *INTEL.* Primus poenitentiae gradus est, *in se reverti*, et *nosse suam infelicitatem*. 2. *Surgere et ire ad Patrem*. 3. *Humilis confessio cum contritione* . . . *REFL.* Nos quoque in nos ipsos revertamur: videamus an surrexerimus, etc. Nam beatus vir, qui *in cathedra pestilentiae non sedit*, Ps. 1. . . . *VOL.* Nos cum filio prodigo contrito corde dicamus: *Surgam, et ibo ad Patrem. Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*, Ps. 31. *Pater peccavi*, etc. . . .

PVNCT. III. — *Status reconciliationis.* — *MEM. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum Pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum . . . dixit autem Pater ad servos suos: cito proferte stolam primam et induite illum, et date annulum in manum eius, et calceamenta in pedes eius . . . adducite vitulum saginatum . . . et coeperunt epulari . . .* Luc. 15. cum sym-

phonia etc. . . *INTEL.* Singula perpendamus, amplexum, osculum, vestitum, epulas, cantus, etc. . . *REFL.* Consideremus quanta caecitas sit dilatio poenitentiae, et reditus ad Patrem tam misericordem . . . *VOL.* Effundamus nos in actum *charitatis* et *perfectae contritionis* apud talem Patrem . . .

COL. Ad Christum crucifixum qui brachia habet extensa ad amplexum, et totus spirat misericordiam; postulando *veram contritionem* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXII.

GEN. II.

De rebellione amoris proprii.

CONGR. Quomodo qui in medio hostium est, saluti suae invigilet cum metu et tremore.

PRAEL. I. Circumspicere nos cinctos *carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani rebellione.* (**Lib.** Exerc. pag. 116.).

PRAEL. II. Petere auxilium Dei ad expugnandos illos hostes.

PVNCT. I. — *MEM.* Revocemus summatim in memoriam peccata totius vitae nostrae . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Ratiocinemur omnia haec peccata provenire ex *amore proprio:* nam hic aliud non est quam *natura, quae neglecto fine creationis se ipsam quaerit et amat.* Atque hic *amor proprius* immiscet se quidem etiam rebellioni *carnis et sensuum*, atque etiam *amori mundano*, sed in multis valde tecte et subtiliter, ita ut non tam aperte se prodat ejus malitia, de quo juvat considerare Thomam a Kempis de imit. Christi l. 3. c. 54. *de diversis motibus naturae et gratiae.* Malitia consistit in eo quod nos ipsos magis amemus, quam finem creationis nostrae, quem postponimus nostris commodis . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Huic hosti apte potest ad-

scribi unum, alterumque peccatum capitale. Atque in primis *Invidia* quae est *tristitia de alterius bono tamquam diminutivo propriae excellentiae.* Filiae sunt hae: 1. *Odium* erga alterum. 2. *Detractio.* 3. *Gaudium* in malis proximi. 4. *Susurratio* ad tollendam proximi amicitiam cum aliis . . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Amori proprio etiam apte adscribitur *Acedia* quae est *taedium et tristitia in labore virtutum.* Filiae sunt: 1. *Malitia* qua quis bona spiritualia et beneficia Dei odit. 2. *Pusillanimitas et desperatio.* 3. *Rancor* quo suadentes spiritualia sunt fastidio. 4. *Torpor* quando bona non fiunt cum fervore. 5. *Evagatio mentis.* Haec omnia oriri ex *amore proprio* consideranti facile patet . . .

PVNCT. V. — *VOL.* Dicamus et fateamur culpam nostram, quod toties et in tam multis superati fuerimus a rebellione hostis istius: excitemus actum contritionis. Statuamus unice finem creationis nostrae amare, et ad eum recta tendere.

COL. Ad Christum crucifixum petendo *charitatem,* et caeteros *fructus* Spiritus Sancti. Nam hi penitus hostem illum profligant, et quia tam subtilis est hic hostis petamus lumen, ut bene intelligamus illam eius sententiam: *Qui amat animam suam perdet eam*, Ioan. 12 . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XXIII.

GEN. III.

De resurrectione mortuorum.

CONGR. Mente revolvere illa verba: *Mors stupebit et natura, cum resurget creatura iudicanti responsura.*

PRAEL. I. Seipsum considerare tamquam semen terrae mandandum et corrumpendum, ut vel in triticum, vel in zizania resurgat et excrescat.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut faciendo *fructus dignos poenitentiae* in bonum semen formari possim.

PVNCT. I. — Visvs. Oculos circumferre *per sepulcra regionum*, et videre mortuos ubique resurgentes . . . *INTEL.* Perpendat illud 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Nam iustus quidem *surget in gloria, et surget in virtute;* sed non sic peccator, qui horrebit ad sui ipsius aliorumque peccatorum aspectum . . . *REFL.* Concludamus quod nunc debeamus horrere peccatum, si tunc illo horrore velimus liberi esse . . . *VOL.* Horrorem concipiat peccati tamquam mali unici, quod est in mundo. Quid enim nobis nocebit si non peccaverimus? neque nunc, neque in resurrectione mortuorum quidquam nobis nocere poterit si fuerimus sine peccato; a quo nunc abhorreamus . . .

PVNCT. II. — Avditvs. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent,* 1. Cor. 15 . . . *INTEL.* Cogitemus quam tuba illa sit futura horribilis peccatoribus . . . *REFL.* Concludamus quod nunc, *novissima illa tuba* debeat sonare in auribus mentis nostrae, ut in aeternum non peccemus . . . *VOL.* Dicamus Deo: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.* Psal. 118. *Sonet vox tua in auribus meis,* Cant. 2. Vox, inquam, illa terribilis novissimae tubae, ut si *vox . . . tua dulcis* non me avocet a peccando, saltem illa terribilis absterreat . . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Gustemus quodammodo tormentum gustus, quod erit in corporibus istis peccatorum, quae invicem quasi nauseam afferent . . . *INTEL.* Ratiocinemur etiam quod vox illa novissimae tubae non solum horrorem; sed etiam amaritudinem afferet. Nam Sophon. 1. legitur: *Vox diei Domini amara . . . REFL.* Perpendamus quam parum memores hactenus fuerimus illius amarae vocis . . . *VOL.* Accusemus desidiam nostram; sapor terrenorum castigandus est a nobis, dicamus nobis cum Apostolo; *Quae sursum sunt sapite, non quae super terram,* Colos. 3 . . .

PVNCT. IV. — ODORATVS. Sentiamus foetorem corporum illorum peccatorum . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod iustus *surget in incorruptione*, 1. Cor. 15. Sed iniusti in *corruptione* plena foetoris. Insuper *statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris*, Matth. 25.; quibus verbis indicatur putredo et foetor peccatorum . . . *REFL.* Recogitemus peccata nostra, ac simul perpendamus quam abominabiles fuerimus Deo propter illa . . . *VOL.* Confundamus nos et pudeat nos; doleamus et oremus: *Inter oves locum praesta, et ab haedis me sequestra, statuens in parte dextra* . . .

PVNCT. V. — TACTVS. Percipiamus tactu quasi mentis dolores et tormenta, quibus corpora illa resurgentium peccatorum ex morbis, vulneribus, et corruptione sua cruciabuntur . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo peccando in hac vita in multos dolores corporis et animae incidere homines soleant, quibus sensus *tactus* cruciatur . . . *REFL.* Recordemur quomodo nos ipsi id experti fuerimus . . . *VOL.* Statuamus pro remedio diligenter observare quae habentur in libro Exercitiorum de *Examine generali* (pag. 77.) *et particulari* (pag. 74.), de *Confessione Sacramentali*, de *Sacra Communione*, (pag. 84.) et de *Poenitentiis* . . . (pag. 108.).

COL. Ad Christum crucifixum petendo gratiam *verae contritionis*, et ne in resurrectione nostri sensus ita crucientur; orando ut nobis morientibus faciat gratiam *extremae unctionis*, ut per illud Sacramentum *indulgeat nobis Dominus quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum deliquimus* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIV.

GEN. I.

Lapsus et poenitentia Petri.

CONGR. Quanto pudore coram optimo Magistro compareret discipulus, qui contra ipsius praevia monita ipsum graviter offendisset.

PRAEL. I. Repraesentare sibi B. Petrum lacrymantem et poenitentem.

PRAEL. II. Petere gratiam imitandi *lacrymas et poenitentiam* Petri.

PVNCT. I. — *Dispositio ad lapsum.* — *MEM.* Petrus dixit Iesu: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Matth. 26.; et monitus de trina negatione, dixit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ibid. . . . *INTEL.* Perpendamus bonum quidem Petri zelum, sed mixtum nimia de se praefidentia; nam quodammodo super omnes se effert dicendo, *Etsi omnes*, etc. *ego numquam*, etc. . . *REFL.* Videamus an nos quoque non simus rei nimiae praefidentiae? . . . *VOL.* Sequamur consilium S. Francisci Xaverii, quod inculcat in suis epistolis; ut ita diffidamus nobis, ut maxime fidamus Deo; et D. Pauli Phil. 2. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* . . .

PVNCT. II. — *Lapsus.* — *MEM.* *Accessit ad eum una ancilla, dicens: et tu cum Iesu Nazareno eras: at ille negavit coram omnibus* . . . Et tertia vice interrogatus *coepit detestari et iurare*, etc. Matt. 26. . . *INTEL.* Perpendamus gravitatem huius lapsus ex circumstantiis; tum investigemus causas, *praefidentiam* quod *sequebatur eum a longe*, Matth. 26.; quod non *vitaverit occasionem;* quod *timeret cruciatus et mortem;* nec *indifferens* esset ad *brevem vitam et longam*; ideo elegit peccatum tam grande prae mortis periculo . . . *REFL.* Videamus an hae causae etiam in nobis locum non habeant? . . . *VOL.* Accusemus nos

quod in via salutis tam tepide, et quasi *a longe* progressi simus ad finem creationis nostrae. Excutiamus omnem acediam; sed in primis renovemus ea, quae in *Fundamento* statuimus circa indifferentiam et electionem eorum quae ad finem conducunt, ne in talia peccata labamur . . .

PVNCT. III. — *Poenitentia.* — *MEM. Et conversus Dominus respexit Petrum: et recordatus est Petrus verbi Domini . . . et egressus foras Petrus flevit amare*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Perpendamus ordinem huius poenitentiae. 1. *Misericordia Dei* respicientis nos. 2. *Memoria verborum Dei*, quae locutus est nobis tum per scripturas, tum per alios, tum per se inspirando bonas monitiones. 3. *Egressio ex occasione peccandi.* 4. *Contritio et fletus amarus* . . . *REFL.* Inspiciamus quo ordine nos ad poenitentiam tendamus? . . *VOL.* Misericordiam Dei imploremus: *Aspice in me, et miserere mei*, Psal. 118. *Vivifica me secundum verbum tuum*, Ibid. *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, Psal. 6. Denique cum Petro ploremus amare . . .

COL. Ad Christum crucifixum, ut sicut Petrum, sic et nos conversus respiciat ut egressi foras *fleamus amare* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXV.

GEN. II.

De rebellione amoris mundani.

CONGR. Quomodo cinctus hostibus *cum metu et tremore* saluti suae soleat invigilare.

PRAEL. I. Respicere nos cinctos *carnis*, *sensuum*, *amorisque proprii ac mundani rebellione.* (Lib. Exerc. pag. 116.).

PRAEL. II. Petere auxilium a Deo ad expugnandos illos hostes.

PVNCT. I. — *MEM.* In memoriam revocemus peccata omnis generis, quae homines perpetrant ut sint magni inter homines; ut honorentur, colantur, et laudentur; et ut in vita, ac post mortem inter caeteros famam et gloriam acquirant; hoc est ut satisfaciant *amori suo mundano* . . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Perpendamus *naturam* huius hostis in hoc sitam, quod cum *homo creatus sit ad hunc finem, ut Dominum Deum suum revereatur, laudet, glorificet, eique serviat; haec omnia ad se ipsum velit transferri;* hinc dicitur Io. 12.: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*: et 1. Cor. 3. monet Apostolus: *Nemo itaque glorietur in hominibus* . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Notemus *mundanum amorem* habere sibi iunctum primum et praecipuum peccatum capitale, scilicet *Superbiam*, quae est *inordinatus appetitus propriae excellentiae*, videlicet apud homines et inter homines. Habet vero superbia tres filias. 1. Est *Praesumptio* qua aggredimur res supra vires. 2. *Ambitio* qua inordinate appetimus dignitates et honores. 3. *Vanagloria* qua inordinate manifestamus propriam excellentiam sive veram sive fictam . . . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Ratiocinemur quam vanus et stultus sit ille *amor mundanus*; nam totus dependet ab opinione hominum. Quid vero est homo? *natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis* etc., Iob. 14. *Omnis caro foenum, et omnis gloria eius quasi flos agri*, Isa. 40. *Sicut flos foeni transibit*, Iacob. 1. *Quia omnis caro ut foenum, et omnis gloria eius tamquam flos foeni* etc., 1. Pet. 1. Merito proinde dicitur *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3 . . .

PVNCT. V. — *VOL.* Admiremur hinc caecitatem et stultitiam hominum; nam revera *stultorum infinitus es numerus*, Eccl. 1. Inde patientiam et misericordiam Dei, qua *plena est terra*, Ps. 32. Studeamus ho-

norem et contemptum hominum non aliter appetere aut fugere, quam quatenus ad finem conferunt vel obsunt: *indifferentes* proinde simus, et *eligamus* unum vel alterum, prout ad *finem creationis consentaneum est* (Lib. Exerc. pag. 72.) . . .

COL. Ad Christum crucifixum, petendo tertiam gratiam, quae in primo Colloquio Exerc. III. Hebd. primi (Lib. Exerc. pag. 97.) posita est, *ut perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XXVI.

GEN. III.

De ipso Iudicio Universali.

CONGR. Quomodo affectus sit is qui sententiam mortis auditurus est coram populo.

PRAEL. I. Videre omnes in valle Iosaphat congregatos ut extremam audiant *Sententiam*.

PRAEL. II. Petere gratiam ita deplorandi et vitandi peccata, ut tunc *cum fiducia* compareamus.

PVNCT. I. — Visvs. Videamus *Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria*, Marci 13. Statuentem *oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris*, Matt. 25. . . . *INTEL.* Perpendamus *quantus tremor est futurus*, quando *Iudex est venturus cuncta stricte discussurus* ! . . *REFL.* Concludamus nos caece et stulte processisse, qui hactenus illius diei viximus parum memores . . . *VOL.* Memores vivamus novissimi illius *Iudicii*, ut tunc inter oves esse possimus; dicamus ad Deum cum Ecclesia, *Iuste Iudex ultionis, donum fac remissionis ante diem rationis* . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Sonet in auribus nostris vox illa, qua dicetur *his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius*, Matth. 25 . . . *INTEL.* Vocavi vos et creavi ad hunc finem, ut me laudando, mihi-

que serviendo salvi fieretis. Discedite a me extra quem nulla est salus, quia res creatas prae me quaesivistis . . . *REFL.* Cogitemus an haec exprobratio in nos non cadat ? . . *VOL.* Toto corde convertamur ad Deum: nulla cogitatio nostra, nullum verbum, nullum opus sit, quod non recta tendat ad *finem creationis*: tunc *Sententiam* illam non timebimus . . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Gustemus quasi amaritudinem illius *Sententiae* extremae, et irrevocabilis . . . *INTEL.* Perpendamus verba quae leguntur Sophon. 1.: *Vox diei Domini amara ; tribulabitur ibi fortis*: additque Propheta causam: *quia Domino peccaverunt* . . . *REFL.* Examinemus an eadem amaritudinis causa, peccatum scilicet, in nobis non sit ? . . *VOL.* Cum intimo sensu contritionis dicamus nobis ipsis illud Ierem. 2.: *Vide quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.* Convertamur, *quoniam suavis est Dominus*, Ps. 33. . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Sentiamus foetorem haedorum illorum qui a sinistris consistunt . . . *INTEL.* Perpendamus si, prout in Exerc. ii. Hebd. hujus meditati sumus (Lib. Exerc. pag. 94.), unusquisque peccator sit quasi *ulcus et apostema; ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluit*, quanta ibi futura sit corruptio, quanta graveolentia, ubi omnes simul erunt congregati ? . . *REFL.* Consideremus nos ipsos, et scrutemur putredinem et sordes conscientiae nostrae . . . *VOL.* Dicamus: *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae*, Ps. 37. Sperantes in Deo dicamus, *Lavabis me et super nivem dealbabor*, Ps. 50.; et *Christi bonus odor* efficiamur, 2. Cor. 2. . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Iungamus quasi sensum tactus nostri cum tactu illorum qui a sinistris erunt, qui in anima et corpore cruciabuntur . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod sententia illa terribilis tamquam fulgur illos percutiet, et statim sentient in corpore etiam quod resurrexit poenam ignis inextinguibilis . . .

REFL. Iterum atque iterum perpendamus stultitiam nostram, qui non cogitantes haec tam caece rebus creatis etiam quando oberant fini nostro; abusi sumus . . . *VOL.* Exclamemus cum Propheta Moyse de aliis aeque atque de nobis: *Gens absque consilio est et sine prudentia, utinam saperent et intelligerent, ac novissima praeviderent!* Deuter. 32. *Preces meae non sunt dignae, sed tu bonus fac benigne ne perenni cremer igne* . . .

COL. Ad Christum crucifixum Iudicem futurum, ut det gratiam ita pugnandi contra *carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani* rebellionem (qui hostes nos a fine et a salute nostra abducunt, et ad peccandum continuo trahunt) ut illo die irae et extremi *Iudicii* possimus esse securi; *Quaerens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVII.

GEN. I.

De muliere peccatrice.

CONGR. Quomodo aeger quaerat medicum, et captivus anhelet ad redemptorem.

PRAEL. I. Respicere nos ipsos tamquam captivos sub servitute peccati, ac tamquam aegros et vulneratos.

PRAEL. II. Petere gratiam faciendi *fructus dignos poenitentiae*.

PVNCT. I. — *Confessio peccatorum.* — *MEM. Mulier, quae erat in Civitate peccatrix, ut cognovit quod* (Iesus) *accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius* etc., Luc. 7. . . *INTEL.* Consideremus quod mulier illa, postquam parasset unguenta et odoramenta, per quae intelligi possunt *orationes Sanctorum*, Apoc. 5., caeteraque necessaria ad fructuosam poenitentiam, stando *retro secus pedes eius* professa sit se esse peccatricem . . .

REFL. Videamus quomodo praeparaverimus nos ipsos ad *Confessionem*, eamque ad pedes Sacerdotis instituerimus . . . *VOL.* Dicamus cum Ezechia, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae*, Isa. 38. ; et cum Davide *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*, Ps. 31. . .

PVNCT. II. — *Contritio de peccatis.* — *MEM. Lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat: et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Haec omnia vim doloris designant, oscula vero et unctio ingentem amorem et contritionem charitate perfectam . . . *REFL.* Componamus *contritionem* nostram cum hac . . . *VOL.* Fateamur debilitatem *contritionis* nostrae: dicamus cum Ierem. 9. : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum*, etc. ; diligamus Patrem tam misericordem . . .

PVNCT. III. — *Absolutio a peccatis.* — *MEM. Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum . . . dixit autem ad illam: remittuntur tibi peccata . . . fides tua te salvam fecit, vade in pace*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Contemplemur hic fructum sincerae poenitentiae coniunctae cum vera *fide*; simulque clementiam Christi erga peccatores poenitentiam agentes . . . *REFL.* Cogitemus nos ideo forte non sentire illam pacem post *absolutionem* acceptam a Sacerdote, quia *dolor noster* non est tam sincerus, neque satis coniunctus cum *fide, spe, et charitate* . . . *VOL.* Statuamus deinceps imitari poenitentiam istius mulieris, et anhelemus ad illam Christi vocem, *remittuntur tibi peccata; vade in pace*. . .

COL. Ad Christum crucifixum, coniiciendo nos ad pedes eius, eos osculando, lacrymis rigando, ungendo unguento virtutum, praesertim *charitatis* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVIII.

GEN. II.

De brevitate vitae.

CONGR. Videre homines passim morientes, sicut folia in autumno ex arboribus cadentia.

PRAEL. I. Intueri seipsum inter mille aegritudinis et mortis causas constitutum.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut tamquam peregrinos geramus nos super terram, et *brevi migraturos.*

PVNCT. I. — *MEM.* In mentem revocemus annos praeteritos vitae nostrae, et quam paucos sperare possimus secuturos. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*; *si autem in potentatibus octoginta anni*, Ps. 89; recordemur vero quam multi *citius* moriantur . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Ratiocinemur ex paucis illis vitae annis subtrahi debere tempus infantiae, tempus somni, et alia tempora quibus vivimus quasi non essemus. Ex quibus concludere possumus, quam *exiguo tempore* censeri debeamus *vixisse* . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Comparemus hanc *brevem vitam* cum vita illorum, qui olim vixerunt octingentis, nongentis annis, et mortui sunt. Deinde comparemus tempora illa cum aeternitate, et concludamus recte Apostolum, 2. Cor. 4., vocasse, *quod in praesenti est momentaneum*; et bene dictum, Iob. 14., *breves dies hominis sunt*, et cap. 10.: *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* . . .

PVNCT. IV. — *INTEL.* Concludamus quanta sit caecitas et stultitia, cum *tam pauci* dies nobis dati sint ad iter faciendum versus finem creationis nostrae, declinare a via et haerere in vili et vana re creata. . .

PVNCT. V. — *VOL.* Dicamus quod habetur, Isa. 38: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.* Nam vere amarum est tempus *tam breve et pretiosum* impendisse vanitati et peccatis. Defleamus

id amaris lacrymis: tum deinde semper menti nostrae obversetur illud, 1. Cor. 7., *tempus breve est; reliquum est, ut . . . qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Praeterit enim figura huius mundi . . .*

COL. Fiat petendo ferventer tertiam gratiam nobis necessariam, sicut habetur in Exerc. III. Hebd. primae scilicet, *ut perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus* (Lib. Exerc. pag. 97.) . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XXIX.

GEN. III.

De divite Epulone.

CONGR. Quomodo affectus esset captivus qui audiret grave supplicium, quod alter pertulit ob crimen cuius ipse quoque reus est.

PRAEL. I. Videre se quasi in carcere corporis inclusum, et reum plurium criminum.

PRAEL. II. Petere gratiam ut per aliena saltem supplicia a peccato deterrear.

PVNCT. I. — VISVS. Intueamur quomodo *dives ille*, vel quicumque ei similis, iaceat *sepultus in Inferno*. Luc. 16. . . *INTEL.* Cogitemus causam illius damnationis fuisse, quod permiserit se abduci a fine suo per *carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani* rebellionem . . . *REFL.* Inquiramus an non similis peccati rei simus? . . . *VOL.* Doleamus de peccatis commissis, et animos colligamus ad hostes illos penitus expugnandos . . .

PVNCT. II. — AVDITVS. Audiamus quid clamet et quid audiat ille miser: *Pater Abraham, miserere mei . . . et dixit illi Abraham: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, Luc. 16. . . *INTEL.* Intelligamus bona illa esse res creatas quibus abusus fuerat quando fini creationis oberant: et ideo post mortem

non est locus misericordiae . . . *REFL.* Perpendamus quomodo nos quoque similiter rebus creatis abusi simus . . . *VOL.* Renovemus ea, quae in *Fundamento* de usu rerum creatarum statuimus (Lib. Exerc. pag. 71.) : . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Gustemus quodammodo sitim illius miseri, qui frustra sic orabat: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Sed audivit: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est*, Luc. 16. . . . *INTEL.* Haec est poena illorum, qui *sensuum* rebellioni cedunt: nam *epulabatur quotidie splendide*, ibid. . . . *REFL.* Examinemus nos iuxta regulas *de victu temperando* . . . *VOL.* Firmiter statuamus nihil unquam indulgere *sensibus*, nisi quatenus iuvat ad finem creationis . . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Sentiamus quasi foetorem et putredinem illius damnati . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod *dives ille* luxuriando *induebatur purpura et bysso*, Luc. 16. Haec vero omnia in putredinem, et saniem versa sunt cum pestilenti foetore . . . *REFL.* Examinemus an non sit in nobis etiam materia huius putrefactionis et corruptionis? . . . *VOL.* Sequamur consilium Christi: quaeramus *thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit*, Luc. 12. Quid stulte deserimus finem creationis nostrae, ut *odoratui* aliisque *sensibus* satisfaciamus? memores simus verborum, Isa. 14. *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes* . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Tangamus mente tormentum ignis, ob quod clamabat, *quia crucior in hac flamma*, Luc. 16. . . . *INTEL.* Causas consideremus. Non fuerat indifferens ad *sanitatem et aegritudinem*; ad *longam et brevem vitam*; ad *divitias et paupertatem*; ad *honores et contemptum*: non elegerat quae fini creationis consentanea erant; sed illa quae *carni, sensibus, amori proprio et mundano* placebant . . . *REFL.* Scrutemur hic bene conscientiam nostram . . . *VOL.* Deploremus peccata nostra, et emendemus nos.

dicamus *cogitavi vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua*, Ps. 118. . .

COL. Ad Christum crucifixum extollendo misericordiam eius, quod dederit *tempus poenitentiae*, et petendo *cor contritum et humiliatum* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXX.

GEN. I.

De Pharisaeo, et Publicano.

CONGR. Quomodo coram Rege, qui crimen punire potest, et pro suprema potestate et clementia illud potest condonare se gerere debeat reus.

PRAEL. I. Imaginari nos ipsos criminum multorum reos, quibus Deus tamen iustissimus aeque ac clementissimus non dedignatur accessum ad se permittere.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut cum *sincera poenitentia, et corde contrito* ad Deum in *orationibus possim* accedere.

PVNCT. I. — *Pharisaeus.* — *MEM. Pharisaeus stans haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus*, Luc. 18. . . . *INTEL.* Consideremus multiplicem *superbiam* cum *despectu* aliorum in oratione huius *Pharisaei* . . . *REFL.* Introspiciamus bene nos ipsos, et scrutemur an *superbia* similis apud nos locum non habet? Nam *amoris proprii et mundani* rebellio, unde *superbia* oritur, est valde subtilis et incautos decipit . . . *VOL.* Oremus Deum cum Davide, Ps. 35.: *Non veniat mihi pes superbiae*, Nam *Deus superbis resistit*, 1. Petri 5.: petam gratiam cognoscendi, et evellendi fibras peccati illius capitalis . . .

PVNCT. II. — *Publicanus.* — *MEM. Et Publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad coelum levare; sed percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto*

mihi peccatori, Luc. 18. . . . *INTEL.* Speculemus in hac *Publicani* oratione *cor contritum et humiliatum*, Ps. 50. . . . *REFL.* Poenitentiam nostram interiorem cum hac componamus, ut sciamus quid nobis desit . . . *Vol.* Imitemur hanc humilem poenitentiam; dicamus cum ipso; *Deus, propitius esto mihi peccatori*; et percutiendo pectus, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*; et cum Sacerdote in offertorio Missae offerente hostiam *pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, et negligentiis meis* . . .

PVNCT. III. — *Sententia de utroque.* — *MEM. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, Luc. 18. . . . *INTEL.* Perpendamus causam iustificationis, quae additur, *quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* . . . *REFL.* Videamus an similes simus *Pharisaeo* se exaltanti, an *Publicano* se humilianti? . . . *VOL.* Cum intimo animi dolore et perfecta contritione excitemus affectus, qui sunt in Psalmis *poenitentialibus*: nominatim in Ps. 50. *Miserere mei, Deus* . . . *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*, etc. . . .

COL. Ad Christum crucifixum, qui propter *superbiam* nostram *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*, Philip. 2. Petamus gratiam sanctae *illuminationis*, qua cognoscamus peccata nostra; et gratiam sanctae *affectionis*, qua deploremus eadem corde contrito . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXI.

GEN. II.

De peccatis venialibus.

CONGR. Quomodo homines non solum fugiant mortem, sed etiam quidquid ad mortem disponit.

PRAEL. I. Considerare nos ipsos tamquam multis vulneribus, et incommodis, et morbis animae affectos:

cum quibus etiam citra periculum mortis est molestum vivere.

PRAEL. II. Petere gratiam cognoscendi mala *peccatorum venialium*, eaque vitandi.

PVNCT. I. — *MEM.* Revocemus in memoriam innumerabilia *peccata* nostra *venialia*, quae contigerunt cogitatione, verbo, opere, commissione, ac negligentia . . .

PVNCT. II. — *INTEL.* Ratiocinemur causas *peccatorum venialium* easdem esse, quae sunt peccatorum mortalium: quando enim *carnis, sensuum, amorisque proprii ac mundani* rebellione, quando, inquam, diabolus qui est hostis exterior per quatuor illos hostes nobis interiores non potest animae nostrae per peccatum mortale inferre mortem, non cessat inferre morbos et vulnera, nisi vigiles et cauti simus . . .

PVNCT. III. — *INTEL.* Consideremus item effectus *peccatorum venialium*. 1. Sunt *morbi* et *vulnera* quaedam animae, quamvis non lethalia. 2. *Disponunt*, imo *inducunt* nonnunquam ad peccata mortalia. 3. *Debilitant* charitatem, *caeterasque virtutes*, easque quasi *maculant et inficiunt*. 4. *Retardant* ingressum ad visionem beatificam; nam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*, Apoc. 21. 5. *Grave iudicium* propter ea subeundum erit, nam ideo Deus dicit *Ego iustitias iudicabo*, Ps. 74. 6. *Meremur* per illa *magnas poenas* vel in hac, vel in altera vita . . .

PVNCT. IV. — *VOL.* Pudeat nos comparere coram Deo tot naevis, sordibus, maculis deformatos; confiteamur multitudinem *peccatorum illorum*: dicamus cum Propheta Ps. 138.; *imperfectum meum viderunt oculi tui:* agnoscamus nos iuste plecti tot miseriis, quas meremur; doleamus quod tam languide Deo servierimus; proponamus meliora . . .

COL. Ad Christum crucifixum, petendo per Passionem ipsius *misericordiam et vires* ad fortius debellandos *quatuor illos hostes*, qui tot clades nobis inferunt. Clamemus cum Iob, cap. 14. *Tu quidem gressus meos*

dinumerasti; sed parce peccatis meis; et cum Davide, Ps. 142.: *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Petamus gratiam per vulnera eius . . .
RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XXXII.

GEN. III.

De Purgatorio.

CONGR. Quomodo affectus esset ille homo, qui ab optimo Rege ob culpas commissas citra supplicium mortis, graviter tamen puniendus esset.

PRAEL. I. Speculari animam tamquam ream in carcere positam, et tandem si non aeterno, at *temporali igne* puniendam et purgandam.

PRAEL. II. Petere gratiam, ut poenam *Purgatorii* debite apprehendamus, et timore illius salutari *torpor* noster excutiatur, et a *peccatis* etiam *levibus* absterreamur.

PVNCT. I. — Visvs. Videamus oculis mentis *carcerem illum igneum* subterraneum, in quo animae *purgantur*, vel ob peccata venialia, vel ob mortalia non plane deleta quoad reatum poenae . . . *REFL.* Iudicemus sequendum esse nobis consilium Christi, Mat. 5.: *Esto consentiens adversario tuo* (per quem intelligi potest conscientia) *cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici . . . et in carcerem mittaris: amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem . . . VOL.* Horreamus vim illius *ignei carceris*; potius nunc per Sacramenta, indulgentias, et poenitentias satisfaciamus adversario illi . . .

PVNCT. II. — Avditvs. Audiamus animas clamantes ad nos: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me,* Iob. 19.; ad Deum vero; *Iustus es, Domine, et rectum iudicium*

tuum, Ps. 118. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. . . . *REFL.* Cogitemus longe consultius esse nunc eiusmodi adspirationes dirigere ad Deum . . . *VOL.* Cum voluntate et desiderio hic satisfaciendi oremus Deum: *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi*, Ps. 38. . . .

PVNCT. III. — Gvstvs. Gustemus amaritudinem, quam habent illae animae ex *poena damni*, nam *spes, quae differtur, affligit animam*, Prov. 13. Nimia propensio in *cibum et potum* habebit ibi quoque amaritudinem suam . . . *REFL.* Videamus an in nobis non sit nimia adhaesio ad res creatas, et nimius appetitus satisfaciendi *gustui*, qui tunc deberet amaritudine illa deleri? . . . *VOL.* Sequamur consilium Apostoli Col. 3. *Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram.* Mortificemus nunc *gustum* nostrum, ut tunc cito possimus venire ad illam mensam, ad quam *faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis*, Luc. 12. . . .

PVNCT. IV. — Odoratvs. Etiam graveolentiam suam habent *peccata venialia.* Sentiamus quodammodo illam, et qui odoratu peccaverunt proportionata ibi poena purgabuntur . . . *REFL.* Examinemus nos quoque in hoc puncto . . . *VOL.* Purgemus nos nunc, et desideremus ac petamus gratiam a Deo ante mortem cum fructu accipiendi *extremam Unctionem*, in qua dicetur; *Indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti* . . .

PVNCT. V. — Tactvs. Contrectemus quodammodo *flammas illas*, quibus animae illae, *tamquam aurum in fornace* purgantur, et delentur peccata, quae per *tactum* commissa sunt . . . *REFL.* Examinandi sumus an nihil in nobis sit, quod tam acerbo *ignis tactu* debeat mundari? . . . *VOL.* Dolorem et contritionem excitet charitate formatam de omnibus peccatis, quae poenam illam merentur, et hic potius *tactum* nostrum mortificemus . . .

COL. Ad Christum crucifixum, qui propter peccata nostra in omnibus *sensibus* ita cruciatus fuit; et per illos cruciatus supplicemus, ut in hac vita per *charitatem*, quae *operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri 4.; et per *poenitentiam* tam *exteriorem*, quam *interiorem* possimus delere peccata nostra, et cito post mortem apparere ante faciem eius . . .

RECOLLECTIO.

SECVNDAE HEBDOMADAE
MEDITATIONES

CONTEMPLATIO REGNI IESV CHRISTI EX SIMILITVDINE REGIS TERRENI SVBDITOS SVOS EVOCANTIS AD BELLVM QVAE EST VELVTI FVNDAMENTVM SEQVENTIVM HEBDOMADARVM

Haec Contemplatio satis expressa est in *Libro Exercitiorum* (Lib. Exerc. pag. 113.); praesertim si legatur iuncta *Explanatio*. Debet fieri eius *REPETITIO*.

MEDITATIO I. De Incarnatione (Lib. Exerc. pag. 119.).
II. De Nativitate. (Ibid. pag. 124.).
III. Repetitio praecedentium duarum. (Ibid. pag. 130.).
IV. Iterata ripetitio. (Ibid. pag. 132.).
V. Applicatio sensuum ad praedictas. (Ibid. pag. 133.).

Quinque prima haec *Exercitia* huius hebdomadae sunt satis explicata in ipso *Libro Exercitiorum cum iunctis Explanationibus*. Itaque transiliemus ad me-

ditationem sextam. *Repetitiones* tamen, et *Applicationes sensuum* (quamvis nullatenus sint omittendae) deinceps in numero meditationum non reponemus. Satis patet quomodo illae ad normam a S. P. nostro praescriptam fieri debeant. Nullam quoque dierum rationem habebimus. Poterit enim unusquisque, prout S. P. noster permittit, plures vel pauciores dies, quando in secessu Exercitiorum est, sibi praescribere; sicut potest has vel illas meditationes sibi deligere, in iisque puncta mutare, sic tamen ut *capitales Meditationes*, a quibus caeterae imbui debent, non omittantur.

Tenebimus vero seriem, quam S. P. Noster post *tres modos orandi* nobis proposuit sub hoc titulo: VITAE D. N. IESV CHRISTI MYSTERIA: et ex singulis *punctis Mysterii* formabimus meditationem divisam in sua *puncta meditationis*. Notavimus enim in *Explanatione puncta Mysterii* multum differre a *punctis Meditationis* (Lib. Exerc. pag. 247. num. 1.). Hunc modum progrediendi serbabimus in tota Christi vita, etiam in *tertia*, *et quarta hebdomada*. Facile erit ei, qui volet, duas tres aut plures meditationes in unam coniungere; coniungendo nimirum plura *puncta Mysterii* sub iisdem *punctis Meditationis*.

Capitalibus Meditationibus dabitur suus locus iuxta ordinem materiae sine ampliori tamen expositione, quae in ipso *Libro Exercitiorum*, et in *Explanationibus* satis invenitur.

Notandum denique quod in hac *secunda hebdomada Mysteria vitae Christi usque ad ascensum in Templum anno duodecimo* potissimum spectent ad *primum sive communem statum*, qui in *observatione mandatorum Dei* consistit (Lib. Exerc. pag. 250.); caetera vero *Mysteria* tam in hac, quam in sequentibus *Hebdomadis* potissimum spectant ad *statum secundum*, qui est *perfectionis Evangelicae*: vide *Explanationes* (Lib. Exerc. pag. 145).

MEDITATIO VI.

De Annuntiata B. Mariae Virgini Christi incarnatione, de qua Luc. I.

Myst. punct. I. (Lib. Exerc. pag. 250.)

CONGR. *Meditationem proxime instantem . . . menti obiicere; ac desiderium provocare cognoscendi clarius Incarnati Aeterni Verbi, ut ipsi serviam, et adhaerescam tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem eius perspexero* (Lib. Exerc. pag. 139.)

PRAEL. I. Quomodo Angelus Gabriel Beatam Virginem salutans, Divini Verbi Conceptionem ei nunciarit.

PRAEL. II. Videre in civitate Nazareth domum B. Virginis, et Virginem Dei servitio ibi vacantem.

PRAEL. III. Petere gratiam ex cognitione huius Mysterii in *amore*, et *imitatione* Christi proficiendi.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Mente conspiciamus B. Virginem in conclavi suo Deo vacantem, et Archangelum Gabrielem ad illam ingredientem . . . *INTEL.* Consideremus Angelum illum ad inferiora descendentem, non ad divites et honoratos ingressum, sed ad Virginem pauperem et vulgo ignotam; atque inde discamus quod Deus non aestimet *divitias* et *honores*, sicut mundus aestimat . . . *REFL.* In meditatione de *Fundamento* didicimus, quod illa omnia non nisi ut instrumenta ad finem consequendum consideranda sint. An id observavimus? . . . *VOL.* Statuimus in contempl. *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 113) non alio uti *victu*, *vestitu* etc., quam quibus ipse Rex noster utitur: cum igitur videamus, postbabito *honore* et *divitiis*, ipsum ad pauperem, et ignobilem ignotamque domum per suum legatum se convertere, confirmemus decretum nostrum ipsum in *paupertate*, et *humilitate* sequendi . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM. Angelus ad eam di-*

xit: *Ave gratia plena: Dominus tecum* etc., Luc. 1. . . . *INTEL.* Hinc discamus ex *paupertate* et *humilitate* oriri gratiam apud Deum, Deumque ibi se coniungere; *oculi eius in pauperem respiciunt*, Ps. 10. . . *REFL.* Comparemus spiritum nostrum *paupertatis* et *humilitatis* cum illo B. Virginis . . . *VOL.* Renovemus id quod proposuimus in praecedenti puncto; et imitemur quoque B. Virginem . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Dixit Angelus. *Ecce concipies in utero, et paries filium*, Luc. 1. . . *INTEL.* Legatio illa non tractat de *divitiis*, *regnis*, etc. sed de negotio *Incarnationis* et *Redemptionis* . . . *REFL.* Inspiciamus qualia sint negotia, quae nos tractamus . . . *VOL.* Statuamus in electione negotiorum solum *finem* et *salutem* nostram habere prae oculis . . .

COL. Petendo gratiam *imitandi* Christum Regem nostrum, et *proxime* ipsum *sequendi* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VII.

De Annuntiata B. Mariae Virgini Christi Incarnatione, de qua Luc. 1.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 251.)

CONGR. Eadem quae in praecedenti.

PRAEL. I. Quomodo Angelus conceptionem Christi confirmarit conceptione S. Ioannis Baptistae, quem Elisabeth concepit in senectute sua.

PRAEL. II. Imaginari sibi civitatem Iuda in montanis, ubi Elisabeth et Zacharias habitabant.

PRAEL. III. Petere gratiam imitandi *puritatem* B. Virginis, *virtutes* Zachariae et Elisabeth.

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Convertamus oculos mentis ad domum Zachariae et Elisabeth, et contemplemur *virtutes*, quae illis insunt . . . *INTEL.* Consideremus quod de illis scriptum est. *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis*,

etc., Luc. 1.; id enimvero est recta tendere ad *finem creationis*. Hinc Deus dedit gratiam tam mirabilis conceptionis S. Ioannis . . . *REFL.* Comparemus nostram iustitiam cum illorum . . . *VOL.* Statuamus exemplo illorum non tantum in aliquibus; sed *in omnibus mandatis, regulis, et ordinationibus nostris* ambulare. Dicamus Deo: *Mandata tua meditatio mea est*, Ps. 118.: et quia *Psalmus ille* mirabili modo hoc identidem inculcat, si in sacris simus, singulari cum affectu illum quotidie legamus . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. . . . *INTEL.* Colligamus ex hisce verbis quomodo B. Virgo statim solicita sit pro sua *virginitate* . . . *REFL.* Comparemus nostram solicitudinem cum illa, memores simus quod thesaurum illum portemus in *vasis fictilibus*, 2. Cor. 4. . . . *VOL.* Sicut in Hebdomada prima decrevimus, et in contemplatione *Regni Christi* decretum renovavimus, generoso animo expugnemus *carnis* rebellionem, ut exemplo B. Virginis iuxta reg. Summarii 28. *angelicam puritatem* sectemur . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, . . . et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua*, Luc. 1. . . . *INTEL.* Notemus quod Angelus securam reddat B. Virginem narrando Dei opera tum facta iam in Elisabetha, tum futura in ipsa B. Virgine, quae praedicit et promittit . . . *REFL.* Hinc discamus quomodo in anxietatibus nos ipsos et alios debeamus erigere operibus futuris, quae nobis praedicta sunt et promissa in Scripturis . . . *VOL.* Accusemus imprudentiam nostram qui in similibus easibus vana saepe et humana adiutoria spectavimus; conversi ad Regem nostrum dicamus: *Ego tua, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope* etc. (Lib. Exerc. pag. 117.), gratia, inquam, toties aliis praestita, et toties in Scripturis promissa . . .

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi* (ibidem) . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO VIII.

De Annuntiata B. Mariae Virgini Christi Incarnatione, de qua Luc. 1.

Myst. punct. 3, (Lib. Exerc. pag. 251.)

CONGR. Ut supra.

PRAEL. I. Quomodo B. Virgo Angelo assensum dederit, et conceperit Christum.

PRAEL. II. Mente intueri cubiculum, in quo Angelus cum B. Virgine loquebatur.

PRAEL. III. Petere gratiam *inspirationes bonas accipiendi*, iis *assentiendi*, easque *exequendi*.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Repraesentemus nobis iterum B. Virginem cum Angelo loquentem . . . *INTEL.* Consideremus autem B. Virginem turbatam: nam *turbata est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio*, Luc. 1. . . . *REFL.* Discamus exemplo Virginis non statim *omni spiritui credere*, 1. Ioan. 4.; sed probare qualis sit, et observare an dicatur nobis *ne timeas*, sicut dictum B. Virgini; idque *sublata tristitia et perturbatione omni*, iuxta Reg. 1. Hebd. 2. de *discern. spiritibus* (Lib. Exerc. pag. 313.) . . . *VOL.* Quia non pauci decepti fuerunt, petamus lumen a Deo, donum *intellectus*, ut possimus dignoscere spiritus; et diffidentes nobis fiduciam magnam ponamus in eo, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Dixit autem Maria; ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, Luc. 1. . . . *INTEL.* Notemus, quomodo B. Virgo cognitae *inspirationi bonae* prompte assensa sit . . . *REFL.* Videamus an non aliquando *motionibus bonis* resistamus, vel languide ac tarde illis con-

sentiamus? . . . *VOL.* Deinceps quotiescumque ter datur signum campana salutationis Angelicae, per primum *Ave Maria* petamus *bonas inspirationes*; per secundum gratiam *prompte assentiendi*, de quo iterum sequenti puncto . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et Verbum caro factum est,* Ioan. 1. . . . *INTEL.* Notemus celerem executionem; nam B. Virgo statim post assensum suum concepit de Spiritu Sancto . . . *REFL.* Talis debet esse assensus noster, ut mox sequatur ipsa *operis executio* . . . *VOL.* Deinceps dum datur signum salutationis Angelicae, petamus per tertium *Ave Maria* gratiam non tantum *recipiendi bonas inspirationes*, eisque *assentiendi*, sed etiam easdem *exequendi* . . .

COL. Ad B. Virginem, Christum incarnatum iam in utero Virginis, et ad Deum Patrem, petendo ut dignetur confirmare quae iam animo nostro statuimus . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IX.

De Maria Elisabeth cognatam suam visitante, ut habetur Luc. 1.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 252.)

CONGR. Non mutatur.

PRAEL. I. Quomodo inviserit Maria Elisabetham, ac S. Ioannes in utero existens senserit Mariae salutationem, et gestierit.

PRAEL. II. Repraesentare sibi locum, in quo Maria et Elisabeth sibi occurrerunt.

PRAEL. III. Petere ut ex contemplatione Christi recens incarnati excitemur ad *ardentius ipsum amandum et studiosius sequendum.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspicere Mariam et Elisabetham invicem salutantes . . . *INTEL.* Consideremus Elisabetham repletam Spiritu Sancto; nam *ut audivit salutationem Mariae Elisabeth . . . repleta est Spiritu Sancto*, Luc. 1. Sic Christus recens incar-

natus incipit diffundere sua dona iis, qui proxime ipsi fiunt vicini . . . *REFL.* Hinc discamus, si proxime Christum sequamur, tanto maiora dona nos posse ab ipso sperare . . . *VOL.* Cum magno fervore dicamus: *En, o Rex supreme recens incarnate, testor hoc esse desiderium meum quam possum proxime te sequi; da mihi quoque Spiritus Sancti dona, ut melius tibi adhaeream* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Elisabeth *exclamavit voce magna et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui,* Luc. 1. . . . *INTEL.* Ratiocinemur ab Elisabetha per haec verba laudatam fuisse B. Virginem tamquam Matrem Dei, et simul laudatum Christum, qui erat fructus ventris: idque Elisabeth fecit *exclamando*, et quidem *voce magna* . . . *REFL.* Examinemus nos an pari zelo laudemus Christum, eiusque Matrem? . . . *VOL.* Coniungamus affectum nostrum cum Elisabetha, et exclamemus voce magna ut Ecclesia audiat, et haeretici confundantur: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui IESVS* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* *Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione . . . exultavit infans in utero,* Luc. 1. . . . *INTEL.* Notemus hinc abesse omnem acediam et pigritiam; exultat infans, Maria festinat, et sequitur consilium datum Eccli. 31. *in omnibus operibus tuis esto velox* . . . *REFL.* Diligenter inquiramus an non habeat apud nos locum *acedia*? est enim peccatum capitale quod multum nocet, et alibi explicatum est cum suis filiabus. Vide hic Hebd. 1. Med. 22. punct. 4. . . . *VOL.* Accusemus acediam et pigritiam nostram, ut illam excutiamus; dicamus ad Deum, *laetabor et exultabo in te*, Ps. 9. *Exultabit cor meum in salutari tuo*, Ps. 12. . . .

COL. Quo petatur *pax et gaudium in Spiritu Sancto*. Rom. 14. . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO X.

De Maria Elisabeth cognatam suam visitante, ut habetur Luc. 1.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 252.)

CONGR. ut supra.

PRAEL. I. Virgo in hoc canticum prae laetitia prorupit: *Magnificat etc.*

PRAEL. II. Imaginari sibi sanctam domum Elisabeth, ubi canticum illud prolatum est.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi virtutes*, quae praesente Christo ibi eluxerunt.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Convertamus oculos ad B. Virginem . . . *INTEL.* Contemplemur in ea fidem, quae fuit praevia ut fieret Mater Dei; ideo Elisabeth dicebat, *beata quae credidisti*, Luc. 1. . . . *REFL.* Examinemus fidem nostram, quae est fundamentum virtutum omnium . . . *VOL.* Excitemus actus fidei caecae, humilis, certae, fortis, zelosae . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Et ait Maria: Magnificat . . . quia respexit humilitatem ancillae suae*, Luc. 1. . . . *INTEL.* Concludamus *humilitatem* esse viam certam solidae laetitiae; ut possimus dicere etiam, *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*, Luc. 1, . . . *REFL.* Inspiciamus *humilitatem* nostram, ob cuius defectum deficit in nobis etiam exultatio in salutari Dei . . . *VOL.* Proponamus apud animum nostrum sequi *humilitatem* Christi recens incarnati, qui pauperem et humilem matrem elegit: statuamus in *victu, vestitu*, in omnibus eum sequi, sicut statuimus in contempl. *Regni Christi.* (Lib. Exerc. pag. 113.)

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Recolamus opera Dei quae Maria enumerat. *Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles*, Luc. 1. . . . *INTEL.* Ratiocinemur haec omnia suadere. 1. Indifferentiam ad *honorem et contemptum.* 2. Vt eligamus *paupertatem et contemptum* quando

haec magis ad finem consentanea sunt. 3. Vt a *rebus mundanis ac vanis* nos recipiamus: 4. Vt Christum proxime sequamur *in ferendis iniuriis, et adversis omnibus cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate,* (Lib. Exerc. pag. 117.) si quidem electio talis *sit* magis fini consentanea . . . *REFL.* Consideremus quomodo in his nos habeamus? . . . *VOL.* Renovet affectus contemplationis *Regni Christi: en o Rex supreme ac Domine universorum*, qui dispergis superbos, deponis potentes de sede, et exaltas humiles, *ego tua, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope*, etc. (Lib. Exerc. ibid). . . .

COL. Conforme *Fundamento*, (Ibid. pag. 71.) et contemplationi *Regni Christi* . . . (Ibid. pag. 113.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XI.

De Maria Elisabeth cognatam suam visitante, ut habetur Luc. 1.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 253.)

CONGR. non variatur.

PRAEL. I. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.* Luc. 1.

PRAEL. II. Obiicere menti domum Zachariae et Elisabeth.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi virtutes* istius domus sive familiae.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere personas omnes in familia illa per tres quasi menses simul commorantes . . . *INTEL.* Cogitemus interiora et exteriora illarum personarum, quantum differant ab aulicis et mundanis moribus. Nullus ibi locus *carnis*, *sensuum*, *amoris proprii et mundani* rebellioni; nulla vitia aut peccata inde provenientia: sed *virtutes* omnes *theologicae*, *religionis*, *morales* illis insunt . . . *REFL.* Comparemus nos cum illis . . . *VOL.* Aemulemus illas *virtutes*; sicut ibi Christus praesens erat latens in

utero Virginis, sic nobis praesens est latens sub speciebus panis et vini: proinde cum eadem reverentia coram illo debemus ambulare, et esse perfecti . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Singularum personarum cogitationes, et verba cogitationum signa audiamus . . . *INTEL.* Procul inde illud Ps. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*; sed de Deo, et de lege eius omnis sermo. Christus vero Rex noster in utero Virginis parans se ad bellum invitat nos illis verbis, quae audivimus in contempl. *Regni Christi*; (Lib. Exerc. pag. 113.) *mea haec est iustissima voluntas*, etc. . . . *REFL.* Videamus an non fuerimus hactenus milites ignavi, qui tam parum tam iustae invitationi respondimus? . . . *VOL.* Respondeamus animo generoso: *en o Rex supreme*, etc. . . . (Ibid. pag. 117.)

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Inspiciamus quid per tres quasi menses in familia illa agatur? . . . *INTEL.* Nihil ibi fit ad *divitias* et regna; nihil ad *honores* et dignitates comparandas; sed unusquisque hoc unum agit, *ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat* (Ibid. pag. 71.) . . . *REFL.* Componámus actiones nostras cum hisce . . . *VOL.* Renovemus et confirmemus affectus, et ea quae apud nos proposuimus in meditat. de *Fundamento* . . .

COL. Conformia *Fundamento*, et contemplationi *Regni Christi* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XII.

De Christi nativitate Luc. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 253.)

CONGR. Manet eadem.

PRAEL. I. Beata Maria cum Ioseph sponso suo e Nazareth proficiscitur Bethleem.

PRAEL. II. Aspicere iter illud, et viam arduam vel longam vel brevem etc.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi Christum* recens incarnatum.

PVNCT. I.—PERSONAE.—*MEM. Ascendit autem et Ioseph . . . in civitatem David, quae vocatur Bethleem . . . cum Maria . . . praegnante. Luc.* 2. . . . *INTEL.* Perpendamus quo *victu*, *vestitu*, *rebusque aliis* in illo itinere utatur Ioseph cum Maria praegnante: nempe Christus qui tunc *in mundo erat*, quamvis *mundus eum non cognovit*, Ioan. 1. instillabat illis *spiritum paupertatis* . . . *REFL.* Consideremus an non potius commoditatibus nostris studeamus? . . . *VOL.* Diligamus *paupertatem* ut matrem iuxta reg. 24. Summ. nam *hunc spiritum* S. P. noster ex hisce meditationibus hausit . . .

PVNCT. II.—VERBA.—*MEM.* Audiamus colloquia, quae sanctae illae personae habuerunt in via . . . *INTEL.* Credibile est illos inter se, sed praecipue ad Deum haec aut similia dixisse: *Peregrini enim sumus coram te, et advenae sicut omnes patres nostri*, 1. Paral. 29. . . . *REFL.* Perpendamus an satis memores simus illius, quod nobis inculcatur 1. Petri 2., ubi dicit: *Obsecro vos tamquam advenas, et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis*? . . . *VOL.* Doleamus si aliquando immemores illius monitionis fuerimus: et deinceps in *peregrinatione* nostra conformemus nos Iosepho et Mariae . . .

PVNCT. III.—OPERA—*MEM. Factum est autem in diebus illis; exiit edictum a Caesare Augusto . . . et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph*, etc., Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod Christus nondum natus voluerit Matrem et Nutritium suum secum obedire mandato Principis gentilis: vere dicere poterat illud, Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei* . . . *REFL.* Videamus quam saepe obmurmu-

remus mandatis Superiorum . . . *VOL.* Doleamus de defectibus in *Obedientia*, totosque nos fingamus ad Epistolam S. P. nostri de *Obedientia*: et ab exemplo Christi Regis nostri nunquam oculos mentis avertamus . . .

COL. Ad Christum recens incarnatum supplicando ut nobis etiam inspiret affectum erga *has virtutes*, sicut Matri suae et S. Iosepho inspiravit . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIII.

De Christi Nativitate, Luc. 2.

Myst. Punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 253.)

CONGR. Solita.

PRAEL. I. B. Virgo in Bethleem *peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio*, Luc. 2.

PRAEL. II. Repraesentare sibi speluncam in rupe excisam in qua Christus natus est.

PRAEL. III. Petere, ut intime cognita nativitate Christi, toti in *eius amorem et imitationem exardescamus*.

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspicere Christum recens natum . . . *INTEL.* En tandem optimus Rex noster, et *Dominus Dominantium*, 1. Tim. 6. *in propria venit, et sui eum non receperunt*, Ioan. 1.; *quia non erat eis locus in diversorio*, Luc. 2. Speculemur amabilissimum hunc Regem, *cui Principes, et populi omnes Christiani reverentiam et obsequium praestare debeant.* Cognoscamus hic *Dei sapientiam, quae abscondita est . . . quam nemo principum huius saeculi cognovit.* 1. Cor. 2. . . . *REFL.* Interrogemus nos ipsos an cognoscamus eum? Nam scriptum est Ioan. 17.: *Haec est autem vita aeterna; ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* . . . *VOL.* Agnoscamus eum et profiteamur esse nostrum

Regem; adoremus eum recens natum, agamus gratias, toti in *amorem eius exardescamus*, qui ex amore erga nos nasci voluit, et venire in hunc miserum mundum ad redimendos nos.

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus vocem divini illius Infantis, qua ad cor loquitur . . . *INTEL.* Veni, inquit, in mundum *inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (Lib. Exerc. pag. 116.) . . . *REFL.* Ratiocinemur nos hactenus non fuisse *sanae mentis*, qui non cupidissime Regis huius servitio nos addiximus . . . *VOL.* Confiteamur ingratitudinem, et male sanam ignaviam nostram; ac deinde generose prius expugnemus *carnis, sensuum, amorisque proprii ac mundani* rebellionem: nam hi sunt hostes Christi, in quibus debellandis cum eo laborandum est . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* B. Virgo *pannis eum involvit, et reclinavit in praesepio*; Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quam haec omnia sint contraria *carni, sensibus, amori proprio et mundano:* quam sint contraria omnibus, quae mundus amat et amplectitur. Sic sapientissimusRex noster incipit pugnare contra suos hostes . . . *REFL.* Recenseamus pugnas nostras, et videamus quam procul absimus ab hoc Regis nostri exemplo . . . *VOL.* Osculemur illud Praesepe, quod est thronus Regis nostri; statuamus *omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus, quae mundus amat et amplectitur; et admittere et concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est*, iuxta reg. 11. Summ.

COL. Quo petamus lumen et animos magnos Christum non utcumque, sed *proxime sequendi in omnibus* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XIV.

De Christi Nativitate Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 253.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. *Facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo.* Luc. 2.

PRAEL. II. Imaginari sibi locum, in quo multitudo Angelorum convenit.

PRAEL. III. Petere gratiam exemplo Angelorum *tenerrime amandi et laudandi* Christum Regem nostrum ex amore erga nos recens natum.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus et contemplemur multitudinem illam militiae coelestis, quae statim agnovit Christum natum; quem caecus mundus non cognoscebat . . . *INTEL.* Contemplemur gaudium in illis Angelis, admirationem, venerationem, amorem erga Puerum omnino inflammatum . . . *REFL.* Si respiciamus languorem nostrum, satis patebit nos mundo esse similes, non coelestibus illis spiritibus . . . *VOL.* Conjungamus nos cum illa militia coelesti, et illorum affectus aemulemur, et pariter excitemus . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* De Patre coelesti scriptum est Hebr.: 1. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei . . . INTEL.* Ratiocinemur Angelos quoque creatos esse ad eumdem finem *laudandi et reverentiam exhibendi, et serviendi Christo et Deo, ut salvi fiant:* ideo Deus Pater, qui pro sua bonitate impellit ut ad finem illum tendamus, dicit; *et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quia a fine hoc deflexerunt primi angeli, ideo a salute exciderunt . . . *REFL.* Cogitemus quod nobis quoque mandatum sit adorare Christum Deum: nam non tantum de coelesti militia, sed de nobis, qui sumus militia terrestris scriptum est Ps.

65. *omnis terra adoret te* . . . *VOL.* Itaque associemus nos Angelis et dicamus: *Venite adoremus et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino qui fecit nos*, Ps. 94. Ploremus peccata nostra, quibus a fine discessimus, et meriti sumus cum malis angelis damnari: *In nomine Iesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum*, Phil. 2. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Luc. 2. . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo Angeli cognoscentes mandatum Dei Patris non tardaverint illud exequi, sed *subito* executi sint . . . *REFL.* Cogitemus quam *tardi et pigri* simus ad exequenda mandata, quae Deus dat per Superiores . . . *VOL.* Accusemus nos quod toties peccaverimus contra reg. Summ. 35. quae vult, ut cum *magna celeritate, spirituali gaudio, et perseverantia quidquid nobis iniunctum fuerit* obeamus. Statuamus meliora in posterum . . .

COL. Ad Christum in praesepio positum, eum adorando, laudando, venerando, amando, et postulando gratiam *pacis et bonae voluntatis ut sine mora cum gaudio* possimus ipsi *servire et vestigia eius sequi* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XV.

De Pastoribus. Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 254)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Pastoribus revelatur Christi nativitas per Angelum.

PRAEL. II. Imaginari sibi agrum vel locum, ubi pastores erant cum suo grege.

PRAEL. III. Postulare, ut nato Christo, in nobis nascatur *amor* erga ipsum et *studium imitandi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Et pastores erant*

in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum, et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, Luc. 2. . . . *INTEL.* Consideremus pastores vigilantes, ne lupus veniat et devoret. Sic 1. Petr. 5. monemur: *vigilate quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.* Si vigilemus autem, etiam Angelus Domini stabit iuxta nos . . . *REFL.* Videamus an non simus ex illis de quibus dicitur Nahum 3. *Dormitaverunt pastores tui;* et Matth. 25. *Dormitaverunt omnes et dormierunt?* Ideo Angeli praesentiam non sentimus . . . *VOL.* Confugiamus ad Christum recens natum, ut cum versemur inter angelum malum instar leonis et lupi devorantem, et Angelum bonum nos custodientem, per gratiam suam excitet nos a torpore, et det donum vigilandi, ut ne a malo Angelo decipiamur; sed per regulas *discretionis spirituum* (Lib. Exerc. pag. 303. et 313.) fraudes eius detegere possimus. Christo nato, *hora est iam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus*, Rom. 13. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Dixit illis Angelus: nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Quia pastores ad aspectum Angeli *timuerunt timore magno;* Luc. 2. *dixit illis Angelus: nolite timere*, etc. nam iuxta reg. 1. Hebd. 2. de discern. spiritib. *proprium est Dei, et Angeli cuiusque boni veram infundere spiritualem laetitiam animae quam movent, sublata tristitia et perturbatione omni . . . REFL.* Recenseamus errores nostros, qui saepe frustra laetitiam et pacem, *quam mundus dare non potest*, quaesivimus a rebus vanis . . . *VOL.* Studeamus bene regulis *de discern. spiritibus*, et fiduciam nostram collocemus in Deo, et Angelo bono. *Qui habitat in adiutorio Altissimi in protectione Dei coeli commorabitur . . . neque timebit a timore nocturno . . . ab incursu et daemonio meridiano*, Ps. 90. . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM. Hoc vobis signum: invenietis Infantem pannis involutum et positum in praesepio*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Contemplemur insignia nostri Regis recens nati; perpendamus quantum haec distent a sapientia mundi; sed haec *stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3. . . . *REFL.* Respiciamus an fuerimus *sanae mentis* dum mundum secuti sumus? . . . *VOL.* Iuxta reg. 11. Summ. exoptemus *assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus et insignibus indui* . . .

COL. Ad Christum recens natum, petendo gratiam *ut perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus ad insignia Christi* in praesepio positi . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XVI.

De Pastoribus Luc. 1.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 254.)

CONGR. Sit eadem.

PRAEL. I. Pastores transeunt in Bethleem, et inveniunt Infantem.

PRAEL. II. Viam ipsam lustrare a gregibus ad speluncam, in qua natus Christus.

PRAEL. III. Petere gratiam *ne obsurdescamus vocante nos Christo; sed ad sequendum ac obtemperandum prompti simus.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Oculos mentis convertamus ad pastores euntes in Bethleem . . . *INTEL.* Expendamus illud *et venerunt festinantes,* Luc. 2.; quando enim anima ab Angelo bono repletur vera laetitia, tunc sentit se alacrem et impigram, excutiturque omnis acedia . . . *REFL.* Indagemus causam acediae nostrae, quia scilicet iuxta reg. 6. Hebd. primae *de disc. spirit.* non facimus *ea, quae contra de-*

solationis impulsum tendunt; qualia sunt insistere orationi etc. (Lib. Exerc. pag. 308.) . . . *VOL.* Accuset torporem et negligentiam suam. Nato Christo, non pigri sed *festinantes* properemus in Bethleem; omnem moram et desidiam excutiamus, quando ut Redemptor noster veniret ad nos *exultavit ut gigas ad currendam viam*, Ps. 18. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Vt *discesserunt ab eis Angeli in coelum, pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Qui Angelorum bonorum inspirationibus pleni sunt, solent libenter de rebus spiritualibus loqui . . . *REFL.* Colloquia nostra vana signum sunt, quod inspirationibus sanctis non bene attendamus . . . *VOL.* Convertamus nos ad Regem nostrum, et sit nobis unica voluptas de Nativitate, de pannis, et de praesepi ipsius loqui, et audire loquentes. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Ps. 118. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Et invenerunt Mariam, et Ioseph, et Infantem positum in praesepio*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Perpendamus felicitatem pastorum, quando invenerunt id quod Angelus praedixerat . . . *REFL.* Examinemus an nos quoque invenerimus illud ternarium; *Mariam, et Ioseph, et Infantem?* . . . *VOL.* Cum pastoribus ingrediamur speluncam, et inveniamus *Mariam, et Ioseph, et Infantem*; et dicamus: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*, Cant. 3. . . .

COL. Ad tres illas personas effundendo cor nostrum; eliciendo actus fidei, spei, et charitatis, petendo gratiam *proxime Christum sequendi*, etc. (Lib. Exerc. pag. 118.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVII.

De Pastoribus.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 254.)

CONGR. More solito.

PRAEL. I. Reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum.

PRAEL. II. Cogitatione remetiri viam per quam reversi sunt.

PRAEL. III. Petere ut sicut in pastoribus, sic in nobis foveatur *ardor amandi Christum*.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Antequam discedant pastores consideremus iterum personas, quae sunt in spelunca . . . *INTEL.* Inveniemus eas plenas admiratione. Nam *omnes qui audierunt mirati sunt, et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos*, Luc. 2.; ideo avidissime audiebant et inquirebant . . . *REFL.* Videamus an nos quoque tam avidi simus ad audienda Mysteria Dei, nominatim suavissimum hoc Mysterium nati Regis nostri? . . . *VOL.* Dicamus Christo recens nato: *Mirabilia testimonia tua*; *ideo scrutata est ea anima mea* (Ps. 118.) Ideo scrutabimur hoc Mysterium, ut repleamur *admiratione et amore erga Regem nostrum*, quem sequi in omnibus volumus . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Egrediamur nunc e spelunca cum pastoribus, et redeuntium audiamus colloquia . . . *INTEL.* Audiamus illos *glorificantes et laudantes Deum*, Luc. 2. Hinc omnes, qui cum illis agebant, scire poterant illos fuisse in Bethleem . . . *REFL.* Quam saepe sermones nostri produnt nos, quod non in Bethleem, sed in mundano consortio fuerimus! . . . *VOL.* Loquamur *nostris linguis magnalia Dei*, Act. 2. Magnalia quae vidimus et audivimus in Bethleem: *Deumque laudemus*, qui nos *ita dilexit ut miserit Filium suum* in mundum . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Consideremus quid

revertentes pastores non tantum locuti sint; sed etiam quid egerint . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod aliqui laudent Deum, sic ut nihil agant erga proximum: sed pastores illi contenti non erant quod a se Deus et Christus natus laudaretur; imo ne contenti quidem erant quod suo exemplo alii excitarentur ad idem, sed cum zelo alios ad id inducebant et hortabantur; hoc indicat vox illa *glorificantes*, hoc est laudem ipsius apud alios divulgantes . . . *REFL.* Meminerimus hoc proprium esse hominum Societatis Iesu . . . *VOL.* Excitemus affectus laudis et amoris erga Christum natum; idque ita, ut iuxta regulas nostras et vocationem illum per totum Orbem *glorificemus*; omnesque non exemplo tantum, sed modis in Const. parte 6. praescriptis ad Dei laudem et finem creationis assequendum perducamus . . .

COL. Ad Christum in praesepio, supplicando ut sicut ipse eo fine descendit de coelo ut *omnes salvos faceret*, sic nos quoque eius gratia adiuti possimus satisfacere vocationi nostrae, et fini Societatis, qui iuxta reg. Summ. 2. est etiam *impense in salutem, et perfectionem proximorum incumbere* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XVIII.

De Circumcisione Luc. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 254.)

CONGR. Eadem cum desiderio serviendi Christo propter incredibilem eius in nos amorem.

PRAEL. I. Circumcisus est Puer.

PRAEL. II. Locum videre in quo Circumcisio facta est, scilicet ipsam speluncam, ut interpretes censent.

PRAEL. III. Petere gratiam ut *virtutes*, quas Christus in Circumcisione exercuit, *imitari* possimus.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Aspicere Christum iam octo dies natum . . . *INTEL.* Consideremus illum Hominem factum, *tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato*, Hebr. 4. . . . *REFL.* Consideremus ex adverso nos ipsos neutiquam *absque peccato*, sed tamquam *ulcus foetidum et apostema, ex quo tanta vitiorum sanies effluit* (Lib. Exerc. pag. 94.) . . . *VOL.* Admiremur Dei bonitatem, qui tam vilem et foedum hominem dignatus est ita amare, ut miserias nostras nascendo suscipere voluerit: exerceamus *contritionem*, et *alios affectus primae Hebdomadae* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum quamvis infantem tacite tamen quodammodo loquentem: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius;* sic enim locutus fuit (Ioan. 4.), et hoc ab initio Incarnationis illi fuit propositum . . . *INTEL.* Inde concludamus Christum servasse omnia legis praecepta, et ab initio suae conceptionis habuisse desiderium Circumcisionis . . . *REFL.* Nos autem ab initio usus rationis toties praecepta Dei, et Ecclesiae violavimus . . . *VOL.* Humiliemus nos, miremur patientiam Dei: actum charitatis benevolae erga tantam bonitatem eliciamus; ex ea ad *perfectam contritionem* pergamus cum *proposito obediendi* omnibus mandatis . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Iuxta legem Christus octavo die circumciditur . . . *INTEL.* Discamus hinc obedientiam erga praecepta Dei, et Ecclesiae: nam et *quidem cum esset Filius Dei didicit ex iis, quae passus est, obedientiam*, Hebr. 5.; et quia plenus erat ratione magis sensibilem dolorem passus est in Circumcisione, quam alii . . . *REFL.* Propter nos haec passus est, ut nos quoque *obedientiam* discamus . . . *VOL.* Accusemus duritiam cordis *nostri*, quod cum constiterit inobedientia nostra Christo dolore tanto, non tamen nos emendemus: deinceps exemplum illud *obedientiae* prae oculis habeamus . . .

COL. Ad Christum per dolores eius in Circumcisione toleratos petendo gratiam *perfectae obedientiae* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIX.

De Circumcisione. Luc. 2.

Myst. Punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 255.)

CONGR. Sicut ante dictum est.

PRAEL. I. Vocatum est *Nomen* eius Iesvs.

PRAEL. II. Mente manere in spelunca, in qua Christus est natus.

PRAEL. III. Petere ut possimus percipere *suavitatem, et vim sanctissimi istius Nominis.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere Personas tres divinas non solum de incarnatione Verbi, sed etiam de *Nomine* ipsi imponendo tractantes ab aeterno . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod voluerint imponere *Nomen*, quod iuvaret ad redemptionem nostram; quod nos alliceret ad sequendum Doctorem, Ducem, Regem nostrum . . . *REFL.* Concludamus quantam curam et charitatem habuerit nostri Deus ab aeterno . . . *VOL.* Infinitam illam misericordiam extollamus: *Domine, quid est homo, quod memor es eius?* Ps. 8. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus SS. Trinitatem per Gabrielem legatum suum B. Virgini tandem *Nomen* illud manifestantem dicendo, *et vocabis Nomen eius* Iesvm, Luc. 1. . . . *INTEL.* Perpendamus quod *Nomen* illud significet *Salvator*: quia nomen est salutare, etiam corde tantummodo pronunciatum, in *omni periculo*, in *tentatione*, in *vita*, et in *morte* . . . *REFL.* Videamus quam forti et facili remedio contra omnia mala nos instruxerit Deus: quam negligenter eo usi fuerimus . . . *VOL.* Optime hic adhiberi possunt omnes affectus, qui sunt in hymno S. Bernardi: Iesv *dulcis memoria*, etc. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Consideremus quid in coelo, et in terra factum sit dum *Nomen* illud innotuit . . . *INTEL.* Perpendamus simul atque *Nomen* illud, quod est super omne nomen, Christo datum fuit, mox impletum fuisse id quod habetur Philip. 2. *In nomine* IESV *omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum* . . . *REFL.* Concludamus quantam *reverentiam* debeamus tali *Nomini*; cogitemus quantam hactenus detulerimus . . . *VOL.* Ardeamus toto corde *amore* erga talem Regem, cuius solum etiam *Nomen* tam amabile iuxta ac venerabile est. Non dubitemus illum *proxime in omnibus sequi* . . .

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi.* (Lib. Exerc. pag. 117.), miscendo affectus hymni supradicti S. Bernardi . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XX.

De Circumcisione. Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 255.)

CONGR. Ut dictum ante.

PRAEL. I. Redditus est Matri suae Puer, quae illi compatiebatur de sanguinis visa effusione.

PRAEL. II. Haerendum adhuc in spelunca Bethleem.

PRAEL. III. Petere ut cum B. Virgine *dolori Christi compati* possimus.

PVNCT. I.—PERSONAE. — *MEM.* Aspicere B. Virginem ante factam Circumcisionem . . . *INTEL.* Consideremus in illa solicitudinem adimplendi legem quamvis sibi gravem, et graviorem quam aliis matribus ob maiorem dilectionem erga Filium: habebat tamen donum *fortitudinis* a Spiritu Sancto, ut haec omnia postponeret voluntati ac legi Dei . . . *REFL.*

Cogitemus quam leve sit cui nos cedimus, et cui postponimus *legem et regulas* nostras . . . *VOL.* Humiliemus nos propter tantam ignaviam, et sequamur exemplum et *fortitudinem* Virginis Matris . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audire B. Virginem offerentem Deo futuram Filii sui Circumcisionem quantumvis sibi sensibilem . . . *INTEL.* Credibile est B. Virginem his aut similibus verbis Deo locutam esse: *tribulatio et angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est*, Ps. 118. . . *REFL.* Nos dum molesta aliqua regula adimplenda venit toti haeremus in cogitatione *tribulationis et angustiae;* ad meditationem *mandati* non progredimur . . . *VOL.* Agnoscamus culpam nostram, et exemplo B. Virginis *legem Dei* potius meditemur, quam adiunctas *molestias* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Post Circumcisionem *compatiebatur Mater* Filio de sanguinis effusione . . . *INTEL.* B. Virgo cum Iosepho, et tota familia erat in luctu et dolore *compatiendo* doloribus Christi, ut discamus, si proxime Christo adhaerere cupimus, et de familia eius esse, quod debeamus cum eo *laborare, dolere, pati* . . . *REFL.* Examinemus nos an simus de familia Christi cum Maria et Ioseph; an scilicet Christo *compatiamur*? . . . *VOL.* Offeramus nos Christo, sicut in contemplatione *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 117.) fecimus, ad illum sequendum in iisdem *laboribus, casibus*, et *caeteris omnibus*, in quibus illum viderimus praecedere; et ad *compatiendum* ipsi prompti simus . . .

COL. Ad Iosephum, B. Virginem, Christum circumcisum, et Deum Patrem, petendo gratiam et donum *fortitudinis ad crucem cum ipso ferendam*, quam ab infantia nunc coepit ferre . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXI.

De tribus Magis Regibus. Matth. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 255.)

CONGR. Non mutatur.

PRAEL. I. Tres Magi ad Puerum Iesum adorandum venerunt Stella duce.

PRAEL. II. Repraesentare sibi regionem Magorum in Oriente, et Palatium Herodis Ierosolymis.

PRAEL. III. Petere ut magis accendamur *amore* erga Christum, et *zelo eum sequendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspicere Magos in Oriente, et Herodem Ierosolymis . . . *INTEL.* Perpendamus quod Magi sint ex illis, de quibus Christus postea dixit: *Oves meae vocem meam audiunt,* Ioan. 10. *et cognoscunt me meae,* ibid. Herodes vero non cognoscebat Christum, sed potius fuit lupus . . . *REFL.* Cogitemus an in nobis sit cognitio Christi, an vocem eius audiamus? . . . *VOL.* Excitemus actum fidei erga Christum: et renovemus propositum non *obsurdescendi vocante nos Christo* (Lib. Exerc. pag. 114.) . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Magi dixerunt: *vidimus Stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.* Matth. 2. . . . *INTEL.* Revera Magi illi non obsurduerunt vocante eos Christo; sed prompti fuerunt ad sequendum: hoc patet ex verbis illis: *vidimus . . . et venimus . . . REFL.* Cogitemus an nos quoque semper dicere possimus, *vidimus . . . et venimus*? Saepe videmus Christum vocantem, et non venimus . . . *VOL.* Timeamus ne nobis exprobretur in die iudicii, *vocavi et renuistis,* Prov. 1. Ideo exemplo Magorum prompti simus. Dicamus Christo: *sequar te quocumque ieris,* Matth. 8. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.* Matth. 2. . . . *INTEL.* Magi erant ex numero eorum, de quibus postea di-

ctum est: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores... etc. propter nomen meum*, Matth. 19.... *REFL.* Videmur idem fecisse propter nomen Christi, quando venimus ad Societatem eius: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, Matth. 10.... *VOL.* Gratias agamus pro illa vocatione; sed memores vivamus illius monitionis, 2. Pet. 1. *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis* ...

COL. Ad Christum renovando ita proposita contempl. *Regni Christi*, (Lib. Exerc. pag. 117.) ut dicamus *ne permittas me separari a te*, et donum *perseverantiae* flagitemus ...

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXII.

De tribus Magis Regibus. Matth. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 255.)

CONGR. Obiicere sibi puncta meditationis, et reliqua, ut ante dictum.

PRAEL. I. Magi Ierosolyma pergunt in Bethleem, et adorant Christum dantes munera.

PRAEL. II. Intueri viam usque ad domum, in qua erat Christus.

PRAEL. III. Petere gratiam ut *amore* Christi impulsus ipsi *me totum offeram*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Videre Magos Stella duce pergentes in Bethleem ... *INTEL.* Consideremus illos plenos gaudio spirituali eoque ingenti; *videntes autem Stellam gavisi sunt gaudio magno valde*, Matth. 2.: tale gaudium non poterat inveniri in aula Herodis ... *REFL.* Scrutemur attente interius nostrum gaudium; nam sicut *sapientia... huius mundi stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3., sic quidquid solatii oritur a *carnis, sensuum, amorisque proprii ac*

mundani rebellione est *stultitia, gaudium stulto*, Prov. 15. . . . *VOL.* Abhorreamus a gaudio illo stulto, anhelemus ad *gaudium*, quod Stella illa attulit Magis, et quod Angelus evangelizavit pastoribus . . .

PVNCT. II. — Verbis. — *MEM.* Audire quid loquantur Magi pergentes in Bethleem . . . *INTEL.* Cogitemus illos his aut similibus verbis invicem excitasse. *Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*, etc. *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, Ps. 94. . . . *REFL.* Convenit Sacerdotes pari affectu Psalmum illum quotidie legere . . . *VOL.* Languorem nostrum accusemus in *divino Officio* recitando, deseramus aulam mundanam Herodis, et piis colloquiis et psalmis excitemus nos ad adorandum Christum in Bethleem . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Intrantes domum... procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*, Matth. 2. . . . *INTEL.* Hoc est quod didicimus in contempl. *Regni Christi*, quod *qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos . . . maiora et praeclariora quaedam munera oblaturi sunt* . . . *REFL.* Inspiciamus quomodo offeramus Deo *tria vota Religionis*. Nam *Paupertas* per aurum oblatum; *Castitas* per myrrham; holocaustum *Obedientiae* per thus significatur . . . *VOL.* Nos quoque procidentes adoremus Christum, et totos nos quanti sumus ipsi offeramus in holocaustum, *qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est . . . ex Maria Virgine, et homo factus est* . . .

COL. Ad Christum a Magis adoratum, renovando omnia quae in contempl. de *Regno Christi* (Lib. Exerc. p. 114.) meditati sumus, gratiam uberem postulantes ad illa exequenda . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIII.

De tribus Magis Regibus. Matt. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 256.)

CONGR. Vt iam dictum.

PRAEL. I. *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam,* Matt. 2.

PRAEL. II. Inspicere illam aliam viam.

PRAEL. III. Petere *illa dona et illas gratias*, quas Magi a Christo acceperunt.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur tres Magos redeuntes per aliam viam . . . *INTEL.* Contemplemur illos ornatos tribus virtutibus *theologicis*, aliisque *donis* item et *fructibus* Spiritus Sancti. Nam Christus nunquam sinit se liberalitate vinci . . . *REFL.* Cogitemus nos ideo minus ornatos esse illis gratiis, quia minus liberales sumus erga Deum . . . *VOL.* Relegamus attente reg. 19. Summ., in qua agitur de *liberalitate* nostra erga Deum, et Dei erga nos; illamque sedulo implere studeamus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audire quid Magi reduces ad suos loquantur . . . *INTEL.* Perpendamus illos intra se non continuisse illa, quae viderant et cognoverant; sed in Oriente evangelizaverunt gaudium magnum *apostolico zelo* . . . *REFL.* Examinemus *zelum* nostrum, qui iuxta vocationem nostram debet esse *apostolicus* . . . *VOL.* Statuamus obtemperare monenti Apostolo Ephes. 4.: *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem,* Matt. 2. . . . *INTEL.* Agnoscamus hic *providentiam et curam*, quam Deus habet de suis . . . *REFL.* Cogitemus quam immerito simus timidi et non fidentes . . . *VOL.* Excitemus

actum *spei et fiduciae*: Scriptura est plena hoc affectu . . .

COL. Ad Christum, petendo gratiam ut cum *ingenti fiducia* totos nos ipsi devoveamus, non dubitantes de ipsius in nos *liberali cura*. . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXIV.

De Purificatione B. Virginis, et pueri Iesu praesentatione, Luc. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 256.)

CONGR. Vt solet in hac hebdomada.

PRAEL. I. Detulerunt Puerum in Templum, ut praesentarent eum Domino tamquam primogenitum; offerentes pro eo *par turturum*, *aut duos pullos columbarum*, Luc. 2.

PRAEL. II. Mente concipere situm Templi.

PRAEL. III. Petere gratiam ut magis ac magis ad *imitationem Christi, et Matris eius inardescam* . . .

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueri B. Virginem et Iosephum, qui *tulerunt illum in Ierusalem*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Neque puer Iesus erat persona subiecta legi, cuius erat Dominus; neque B. Virgo tota pura, quae neque concipiendo, neque pariendo ullam immunditiam aut naturalem, aut legalem contraxerat: tamen ita se gerunt, ac si essent legi subiectae . . . *REFL.* Cum nos simus immundi, et multis titulis mandatis *Dei*, *Ecclesiae*, et legibus *status nostri* subiecti, ita nos gerimus ac si essemus exempti . . . *VOL.* Fateamur hoc oriri ex *superbia* nostra, ex *amore proprio et mundano*: humiliemus nos coram Deo, et etiam coram hominibus. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei; magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Ps. 83. Hoc testentur mores nostri . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Cogitare quid B.

Virgo dixerit offerens Filium suum Sacerdoti . . . *INTEL.* In hunc modum inducitur loquens a Cornelio: *En Pater aeterne, hic est Filius tuus, quem pro salute hominum ex me carnem sumere voluisti : ego tibi eum reddo, et in solidum offero, ut de eo aeque ac de me facias quod placuerit; ac per eum redimas mundum. Haec dicens obtulit eum Sacerdoti, quasi Vicario Dei, a quo deinde quinque siclis eumdem redemit, uti praescribebat Lex.* Ita noster Cornelius . . . *REFL.* Discamus nos, et omnia nostra tam *perfecta intentione* Deo offerre . . . *VOL.* Hos affectus B. Virginis induamus, quando ex contempl. *Regni Christi* dicimus; *En o Rex supreme*, etc. *me tibi penitus offero* (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Obtulerunt iuxta legem *par turturum*; *aut duos pullos columbarum*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur Christum et B. Virginem hic professos esse statum *pauperum,* Nam divites debebant offerre agnum in holocaustum . . . *REFL.* Si velimus Christum proxime sequi, non tantum *indifferentes ad paupertatem et divitias* esse debemus; sed etiam *paupertatem eligere*, dummodo in maius Dei obsequium cedat . . . *VOL.* Sic sequamur Christum, et renovemus id quod in hunc sensum in contempl. *Regni Christi* ipsi addiximus, et testati sumus (ut supra) . . .

COL. Conforme eidem contemplationi. (Ibidem).
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXV.

De Purificatione B. Virginis, et pueri Iesu praesentatione Luc. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 257.)

CONGR. Eodem modo.

PRAEL. I. Quomodo Simeon accepit Puerum in ulnas, dicens: *Nunc dimittis* etc. Luc. 2.

PRAEL. II. Iterum repraesentare sibi situm Templi.

PRAEL. III. Petere gratiam exemplo Simeonis *Iesum amplectendi, et amandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Oculis obiiciamus Simeonem in Templum ingredientem . . . *INTEL.* De persona illa dicitur Luc. 2. *Et homo iste iustus et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus Sanctus erat in eo* . . . *REFL.* Comparemus nostram iustitiam, nostrum timorem Domini, nostram spem futurae gloriae; tum dona fructusque Spiritus Sancti cum illis Simeonis . . . *VOL.* Agnoscamus nos procul abesse ab istis *virtutibus*, atque anhelemus ad *Spiritum Sanctum;* eiusque *dona* ac *fructus* singulos statuamus frequenter meditando postulare . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Simeon habens IESVM in ulnis dixit *nunc dimittis* etc.: et ad Mariam de Puero, quod sit *signum cui contradicetur:* et de ipsa, *tuam ipsius animam pertransibit gladius,* Luc. 2. . . . *INTEL.* Ex cantico illo Simeonis discamus charitatem erga Christum *desiderium collium aeternorum,* Gen. 49.; ex dictis ad Mariam quod, si Christum velimus sequi, debeamus nos parare ad *patiendum* . . . *REFL.* Videamus an constantes fuerimus in proposito sequendi Christum *in ferendis iniuriis et adversis omnibus?* . . . *VOL.* Dum Christum habemus in *Sacra Communione* dicamus canticum cum Simeone; et renovemus propositum sequendi Christum *in iniuriis et adversis omnibus* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Simeon *venit in Spiritu in Templum;* Luc. 2. . . . *INTEL.* Notemus hoc esse quod Apostolus monet, Gal. 5. *Spiritu ambulate* . . . *REFL.* Si in nobis regnant etiamnum *desideria carnis,* signum est quod *spiritu* non ambulamus . . . *VOL.* Imitemur Simeonem, et *spiritu* ambulemus, et in *spiritu* omnia faciamus, caveamusque nobis a *desideriis carnis,* neque tantum a fornicatione, immunditia, impudicitia, luxuria; sed etiam a contentionibus, aemulationibus, ira, rixis, dissensionibus

etc. Nam haec omnia inter *desideria carnis* numerantur ab Apostolo, Gal. 5. . . .

COL. Ad Christum, petendo gratiam eum toto corde amandi, sequendi *in iniuriis et adversis omnibus*, et *desideria omnia carnis* superandi et expugnandi . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXVI.

De Purificatione B. Virginis, et pueri Iesu praesentatione, Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 257.)

CONGR. Non mutatur in hac hebdomada.

PRAEL. I. Anna *superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*, Luc. 2.

PRAEL. II. Circumspicere Templum, quo Anna supervenit.

PRAEL. III. Petere gratiam proficiendi in *amore Christi* ex iis, quae ab Anna gesta fuerunt.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere personam Annae Prophetissae filiae Phanuel de tribu Aser . . . *INTEL. Vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor*, Luc. 2. Laudatur in Anna castitas virginalis, coniugalis, et vidualis . . . *REFL.* Cogitemus quomodo hactenus pugnaverimus contra *rebellionem carnis*, qui hostis insidiatur *castitati?* . . . *VOL.* Amemus Christum, qui *amore casto* vult amari, invocemus *Spiritum Sanctum*, cuius duo ultimi fructus numerantur *continentia, castitas*, Gal. 5. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Anna *confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Notemus ordinem: prius loquendum, et confitendum Deo in oratione; deinde aliis de Deo loquen-

dum . . . *REFL.* Nos homines Societatis non sumus apti, ut de *Deo loquamur* cum proximo, nisi antea bene exercitati fuerimus in *oratione* . . . *VOL.* Faciamus cum Davide apud Deum tale propositum; *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo*; deinde post *meditationes*, et *exercitia* toto corde facta aliis *narrabo omnia mirabilia tua*, Ps. 9.; in concionibus, in privatis colloquiis, etc. . . .

PUNCT. III. — Opera. — *MEM.* Anna *non discedebat de Templo*; *ieiuniis, et obsecrationibus serviens nocte ac die*, Luc. 2. . . . *INTEL. Bona est oratio cum ieiunio;* Tob. 12.; sic Christus postea per 40. dies vacans orationi ieiunavit: et quia additur Tobiae 12. *et eleemosyna*, distribuit deinde eleemosynas faciens opera misericordiae *corporalia et spiritualia* . . . *REFL.* Haec est vita hominum Societatis Iesu, vacare *obsecrationibus*, et *exercitiis spiritualibus* nocte et die; tum per regulas *de victu temperando*, (Lib. Exerc. pag. 204.) et per poenitentias in victu expugnare *rebellionem sensuum*, nominatim *gustus.* Denique inter proximos facere opera misericordiae *corporalia et spiritualia* . . . *VOL.* Proponamus apud animum nostrum haec omnia diligenter observare . . .

COL. Ad Christum in Templo praesentatum, postulando ut sicut Annae, sic etiam et nobis det gratiam *orationis;* ac deinde *zelum* coram aliis recte de *rebus divinis loquendi* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVII.

De fuga in Aegyptum, Matth. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 257.)

CONGR. Propria huic hebdomadae.

PRAEL. I. Herodes volens Iesum occidere occidit Innocentes, praemonito Ioseph per Angelum ut in Aegyptum fugeret.

PRAEL. II. Videre longitudinem, caeterasque proprietates itineris in Aegyptum.

PRAEL. III. Petere ut ex hoc mysterio *animos sumamus generose Christum per adversa sequendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Videamus familiam Herodis: inde convertamus oculos ad familiam Christi . . . *INTEL.* Inveniemus Herodem cum suis subactum a *carnis*, *sensuum*, *amorisque proprii ac mundani rebellione:* ex adverso Christum contemplemur, a quo procul illi nequam hostes, loco quorum praedictum de eo est Isa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus*, etc. cuius Spiritus Maria et Ioseph participes fuerunt . . . *REFL.* Inquiramus an aliquatenus non simus participes aulae Herodianae? . . . *VOL.* Detestemur illam, et abhorreamus a miserrima servitute sub illis quatuor hostibus; et amplectamur, totoque corde sequamur familiam Christi. *Benignus est enim Spiritus sapientiae*, Sap. 1. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus apud Herodem sermones de Christo occidendo: apud Christum de Deo eiusque laudibus . . . *INTEL.* Ratiocinemur; sicut familiae illae contrariis spiritibus aguntur, sic contraria esse in illis colloquia et consilia . . . *REFL.* Consilia et colloquia nostra examinemus, ut sciamus quo spiritu agamur . . . *VOL.* Supplicemus Christo ut nos participes faciat Spiritus sui, et ut nos illuminet ad bene percipiendas regulas *de discernendis spiritibus* . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Herodes *mittens occidit omnes pueros.* Matth. 2. Deus ex adverso per Angelum monet Iosephum: *Surge, et accipe Puerum et Matrem eius, et fuge in Aegyptum*, Matth. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quam vere dictum sit, Ps. 32.: *Dominus dissipat consilia gentium . . . et reprobat consilia principum: consilium autem Domini in aeternum manet* . . . *REFL.* Perpendamus stultitiam et ignaviam nostram, quod timeamus tam potentem Re-

gem sequi . . . *VOL.* Insistamus illis verbis: *En o Rex supreme, ac Domine universorum*, etc. (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi* (ibid).
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXVIII.

De fuga in Aegyptum, Matth. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 258.)

CONGR. Non variatur.

PRAEL. I. Ioseph *consurgens nocte . . . secessit in Aegyptum*, Matth. 2.

PRAEL. II. Iter in Aegyptum sibi imaginari.

PRAEL. III. Petere gratiam ut ex hoc mysterio discam *spiritum indifferentiae, et obedientiae*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Considerare interiorem animum Mariae et Iosephi, cognito mandato fugiendi . . . *INTEL.* Apparuit summa indifferentia erga res creatas omnes, erga patriam, et alias regiones, erga incommoda itineris et commoda quietis; inde oriebatur pax et alacritas animi . . . *REFL.* Exploremus ad hoc exemplum indifferentiam nostram . . . *VOL.* Amemus regulam Summ. 36. quae dicit quod *omnes se ferri ac regi a divina providentia per Superiores suos sinere debent perinde, ac si cadaver essent . . . vel similiter atque senis baculus*; etc. Hoc faciamus ut habeamus pacem interiorem . . .

PVNCT. II. — Verba — *MEM.* Indagemus verba Mariae, et Ioseph ad illud mandatum . . . *INTEL.* Credibile est Iosephum dixisse prompte cum Isaia cap. 6. *Ecce ego, mitte me*: Mariam vero cum ex Iosepho audiret hoc mandatum dixisse iterum: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Luc. 1. . . . *REFL.* Exemplum Mariae et Ioseph, qui haec vel similia dixerunt, docet nos quomodo

mandatis Superiorum respondendum sit . . . *VOL.* Statuat deinceps laudare mandata Dei per Superiorem significata, *licet difficilia*; *et secundum sensualitatem repugnantia iubeat.* (Regulà 31. Summ.) . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Qui consurgens accepit Puerum, et Matrem eius nocte, et secessit in Aegyptum* . . . *INTEL.* Ratiocinemur hanc obedientiam, sive tempus sive alia spectemus, fuisse ex omni parte perfectam . . . *REFL.* Conferamus cum hac obedientiam nostram . . . *VOL.* Doleamus de tarditate et imperfectione nostra in obediendo: scrutemur pulcherrimas regulas de hac virtute in *Summario, et singulas perfectiones*, quae ibi exprimuntur, conemur in nobis quoque exprimere. . . .

COL. Ad Christum in Aegyptum fugientem petendo humillime gratiam *indifferentiae*, ex qua oriatur *perfecta obedientia*. . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIX.

De fuga in Aegyptum, Matth. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 258.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. *Et erat ibi usque ad obitum Herodis*, Matth. 2.

PRAEL. II. Videre regionem Aegypti, in qua Christus fuit.

PRAEL. III. Petere a Christo ut *ex mansione ipsius in Aegypto proficere possim.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus homines in Aegypto degentes, et Christum cum Matre sua, et Iosepho . . . *INTEL.* Contemplemur has personas tres tamquam Stellas quasdam lucentes in tenebris superstitionum, quibus populus ille deditus erat. Christus ibi tamquam vera *lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*, Ioan. 1. . . .

REFL. Nos id agamus ut simus ex illis, de quibus ibidem dicitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius.* . . . *VOL.* Eliciamus actum verae fidei, *vere filius Dei es.* Matth. 14. Succedat actus charitatis, *ut filii Dei nominemur, et simus,* 1. Ioan. 3.

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audire easdem personas loquentes . . . *INTEL.* De Aegyptiis dici potest: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum,* Ps. 11.: de Maria vero et Iosepho, *laudationem Domini loquetur os meum,* Ps. 144. . . *REFL.* Videamus an sermones nostri sint similes Aegyptiorum aberrantes a fine creationis? . . . *VOL.* Renovemus quae proposuimus nobis loquenda in *Fundamento*, et omnia verba nostra dirigamus ad finem creationis nostrae. *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam,* Ps. 50. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et erat ibi usque ad obitum Herodis,* Matth. 2. . . . *INTEL.* Notemus Mariae et Iosephi, sic Christo inspirante, perseverantiam in perficiendis divinis mandatis . . . *REFL.* Haec est regula Summ. 35. quae non solum vult, ut *cum magna celeritate et spirituali gaudio,* sed cum magna etiam *perseverantia quidquid nobis iniunctum fuerit,* obeamus . . . *VOL.* Tanto zelo statuamus cum perseverantia, et omni perfectione exercere obedientiam; ut de nostra Societate Iesu dici possit: *Filii sapientiae, Ecclesia iustorum; et natio illorum obedientia, et dilectio.* Eccli. 3. Concipiamus ingentem zelum pro hac obedientia; quia quamdiu in Societate vigebit *obedientia,* tamdiu vigebit *unio, dilectio, et charitas*...

COL. Ad Christum, qui a puero dedit nobis exemplum obedientiae, quam produxit *usque ad mortem, mortem autem crucis,* Phil. 2.; postulando gratiam ut in hoc *proxime illum sequamur.* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXX.

De reditu ab Aegypto. Matt. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 258.

CONGR. Vt pridem exposita est.

PRAEL. I. Admonetur Ioseph ab Angelo ut in terram Israel revertatur.

PRAEL. II. Inspicere locum huius admonitionis, et iter remetiendum.

PRAEL. III. Petere gratiam ut ex hoc mysterio *affectum* erga B. Virginem et S. Iosephum concipiamus, ut sic magis Christum in Matre et Nutritio eius *honoremus et adoremus.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Considerare personas Mariae et Iosephi, et quas gratias a Christo acceperint . . . *INTEL.* Consideremus in illis tres fructus Spiritus Sancti, *pacem* sine anxietate; *patientiam* in exilio; *longanimitatem* sine taedio morae quamvis mora esset incerta; *esto ibi usque dum dicam tibi*, Matth. 2. . . . *REFL.* Examinemus nos in hisce tribus fructibus Spiritus Sancti . . . *VOL.* Humillime petamus illos fructus: *Hostem repellas longius, pacemque dones protinus. Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Angelus Iosepho dixit: *surge et accipe Puerum, et Matrem eius.* Matth. 2. . . . *INTEL.* Animadvertamus quod Angelus nunquam Iosephum vocaverit patrem, aut Christum eius filium; ut sciamus B. Virginem sic esse Matrem, ut Christus in generatione humana nullum habuerit patrem: ex quo oritur B. Virginis dignitas nulli alteri concessa . . .

REFL. Inquiramus an habeamus tenerum affectum et venerationem erga hanc Virginem Matrem? nam hoc est signum aliquod praedestinationis; et hic est spiritus sanctarum personarum honorantium Christum in eius Matre, et spiritus contrarius spiritui haereti-

eorum . . . *VOL.* Quotidie in recitanda *Corona*, et etiam alias, veluti in *Officio divino*, cum singulari devotione dicamus *Ave Maria*, etc. *Sancta Maria Mater Dei*, etc. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Causam inquiramus cur nunc bis Angelus apparuerit Iosepho, et non B. Virgini? . . . *INTEL.* Ratiocinemur causam fuisse quod S. Iosephus electus sit a Deo tamquam Nutritius, ut Christo puero, eiusque Matri serviret in tam molestis praesertim casibus; in quo magna felicitas et dignitas apparet S. Iosephi . . . *REFL.* Ad nos etiam spectat (nam ad id creati sumus) Christo tum in se, tum in Matre eius servire, sic quoque felices et salvi fiemus . . . *VOL.* Gratulemur S. Iosepho; anhelemus ad parem felicitatem. Quando Christum habemus in *Eucharistia*, eliciamus *affectus*, quos elicuissemus, si S. Iosepho in Aegypto et in itinere comites fuissemus.

COL. Ad B. Iosephum, B. Virginem, Christum, et ad Deum Patrem petendo gratiam *Christo digne serviendi*: nam vidimus *neminem fore sanae mentis, qui non cupidissime Christi servitio se totum offerat et addicat*. (Lib. Exerc. pag. 116.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXI.

De reditu ab Aegypto. Matt. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 258.)

CONGR. Quando mane evigilo facere, sicut supra dictum est:

PRAEL. I. Ioseph *consurgens accepit Puerum et Matrem eius, et venit in terram Israel*, Matt. 2.

PRAEL. II. Intueri Aegyptum et iter in terram Israel, quo redeundum.

PRAEL. III. Postulare gratiam ut magis in *decreto Christum sequendi confirmemur*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Videre sanctam illam Familiam iam accinctam ad egressum ex Aegy-

pto . . . *INTEL.* Perpendamus tantam verae Religionis virtutem a Christo, totaque illa Familia Aegyptiis relictam, tam salutarem memoriam sanctissimorum morum; ut postea Aegyptus evaserit quasi paradisus innumerorum eremitarum Christo servientium . . . *REFL.* Sic nos quoque oportet implere per bonos mores nostros id quod scriptum est 2. Cor. 2.: Deus *odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus* . . . *VOL.* Aemulemur haec charismata meliora, et proponamus nobis servandam regulam 10. *peregrinorum. Cum in itinere ad Collegia vel domos Societatis divertent, studeant omnes bonum aedificationis odorem exemplo vitae ac morum nostris relinquere* etc.; et regulam 8. et 9. de *bene aedificandis externis* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audire verba Angeli ad Iosephum, *vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quaerebant animam Pueri*, Matt. 2. . . . *INTEL.* Intelligamus Dei providentiam, quae *attingit* . . . *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sap. 8. Non turbat cursum rerum humanarum; reliquit Herodem potestati liberi arbitrii sui; et tamen voluntatem suam ubique implet, et finem suum assequitur . . . *REFL.* Disce te totum committere Providentiae Dei . . . *VOL.* Nos totos in sinum Dei coniiciamus: certi quod *non est consilium contra Dominum*, Prov. 21., *Quare fremuerunt gentes* ? etc., Ps. 2. . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Ioseph *consurgens accepit Puerum et Matrem eius, et venit in terram Israel*, Matt. 2. . . . *INTEL.* Perpendamus labores et incommoda itus, et reditus ex Aegypto . . . *REFL.* Si velimus Regem nostrum sequi, *in iisdem quoque laboribus, vigiliis et casibus caeteris* cum eo persistendum erit . . . *VOL.* Summo iterum affectu dicamus: *En o rex supreme*, etc. (Lib. Exerc. pag. 117.).

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXII.

De reditu ab Aegypto. Matth. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 258.)

CONGR. Servire Christo tanto propensius, quanto incredibilior eius erga nos est bonitas et caetera, sicut ante explicatum est.

PRAEL. I. Ioseph ingrediens terram Israel, eo quod regnabat Archelaus filius Herodis in Iudaea, recessit in Nazareth.

PRAEL. II. Quamdam figuram itineris ex Aegypto in terram Israel, et in Nazareth concipere.

PRAEL. III. Petere gratiam *virtutes*, quae in isto negotio et itinere eluxerunt, *imitandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Considerare virtutes, quae in Iosepho et Maria cum Christo, qui modo huius modo alterius brachiis portabatur, per totum illud iter illuxerunt... *INTEL.* Ratiocinemur super omnia emicuisse *charitatem* eum omnibus proprietatibus, quas enumerat Apostolus 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, benigna est;* etc. . . . *REFL.* Expendamus nostram charitatem ad easdem proprietates . . . *VOL.* Fateamur nos procul abesse ab illa tam perfecta charitate: credamus nobis dictum ab Apostolo, 2. Thessal. 3.: *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi:* vel sic oremus cum Ecclesia in Officio divino; *Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in charitate Dei, et patientia Christi* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audire Mariam et Iosephum in itineribus illis colloquentes inter se . . . *INTEL.* Cogitemus inter alia in hunc fere sensum illos etiam fuisse locutos. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus;* Hebr. 13.... *REFL.* Et nos debemus memores esse monitionis, 1. Pet. 2.: *Carissimi obsecro vos, tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis*, etc... *VOL.* Humiliemus nos quod tot carnalia desideria,

quae militant adversus animam, 1. Pet. 2. nobis in mentem veniant, cum simus peregrini et transeuntes; expugnemus illam rebellionem, ut possimus Christum sequi: et dicamus Deo: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuae in loco peregrinationis meae*, Ps. 118....

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Ioseph *audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae; et veniens habitavit in civitate quae vocatur Nazareth*, Matth. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod Ioseph prae oculis habuerit illud Eccli. 4.: *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.* Sed in hoc casu confugit ad Deum iuxta illud: *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos*, Prov. 3. Sic enim direxit gressus Ioseph usque in Nazareth . . . *REFL.* Nos quoque dum in similibus casibus incerti sumus, similiter ad Deum confugiamus . . . *VOL.* Excitemus actum spei et fiduciae in Deum, quod ipse pariter sit directurus gressus nostros, si ad ipsum confugerimus et oraverimus: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paralip. 20. . . .

COL. Ad Christum Dominum universorum, postulantes ut per gratiam ipsius *excutiamus omnem timorem*, et cum magna fiducia petamus donum consilii in casibus dubiis . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXIII.

De vita Domini ab anno aetatis suae duodecimo usque ad trigesimum, Luc. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 259.)

CONGR. More huius hebdomadae.

PRAEL. I. Christus subditus erat, et obediens Parentibus.

PRAEL. II. Imaginari sibi domum, in qua Christus habitavit in Nazareth.

PRAEL. III. Postulare gratiam exemplo Christi tum legum, tum Superiorum *mandatis obediendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Oculos convertere ad personam Christi iam duodecim annis maiorem, commorantem cum Matre sua et Nutritio . . . *INTEL.* Contemplemur oculos eius, gestus, mores, et totam corporis compositionem ; scrutemur interna eius studia. Dirigebat ipse totum se ad hoc ut *placeret*, *serviret*, *et obediret* Matri suae et Iosepho . . . *REFL.* Hoc exemplo docti, si velimus sequi Christum, debemus similiter nos totos componere ad *obediendum* Superioribus cum *interna reverentia et amore* erga eos, sicut exigit reg. 31. Summ. . . . *VOL.* Anhelemus ad *perfectam obedientiam*, ut Christo assimilemur iuxta reg. eandem, *Superiorem (quicumque ille sit) loco Christi Domini nostri* agnoscamus; et attendamus iuxta reg. 33. etiam ad *signum voluntatis Superioris sine ullo expresso praecepto.*

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum inter alacres illos obedientiae actus loquentem . . . *INTEL.* Verbo et facto nobis inculcat illud Deuter. 5. *Honora patrem tuum et matrem.* Item illud Hebr. 13. *Obedite praepositis vestris, et subiacete eis: ipsi enim pervigilant . . . ut cum gaudio hoc faciant et non gementes, hoc enim non expedit vobis . . . REFL.* Habemus hic ad quod nos examinemus . . . *VOL.* Excitemus affectum amoris erga Christum propter tantam bonitatem, qua nobis dignatus est dare tam suave exemplum *obedientiae*: agamus gratias, sequamur ipsum . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et erat subditus illis*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Contemplemur Christum non tantum nos hortantem verbo, sed opere ipso nobis in *obediendo* praeeuntem. Intueamur quam *integre*, quam *prompte*, quam *fortiter* de mane ad vesperam omnia exequatur, quae vel signo Mater aut Ioseph

ostendebant sibi placitura . . . *REFL.* ad haec iterum exploranda sunt opera *obedientiae* nostrae . . . *VOL.* Exclamemus: o beata et felix familia religiosa, ubi sic obeditur! Enitamur omnes ad hanc *virtutem* ita Societati nostrae a Fundatore commendatam . . .

COL. Ad Christum, humillimis precibus petendo ut nobis gratiam *perfectae obedientiae* dignetur largiri iuxta regulas nostras *de Obedientia*, in quibus vita Christi ab anno duodecimo quasi depingitur . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXIV.

De vita Domini ab anno aetatis suae duodecimo usque ad trigesimum. Luc. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 269.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. *Christus proficiebat sapientia, aetate, et gratia,* Luc. 2.

PRAEL. II. Imaginari sibi eandem domum in Nazareth.

PRAEL. III. Petere ut, inspecta *vita Christi* in domo materna, *crescat* in nobis *amor erga illum.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspicere Christum proficientem *aetate*; modo quindecim, modo viginti, modo plurium annorum . . . *INTEL.* Contemplemur ipsum in omni aetate illa, quia erat *speciosus forma prae filiis hominum,* Ps. 44.: et illa species maxime oriebatur ab interiori, quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*, Coloss. 2. . . . *REFL.* Concludamus nihil inveniri, quod a nobis merito debeat amari praeter Regem tam speciosum et amabilem . . . *VOL.* Totos nos effundamus in actus amoris erga Regem talem. Cohabitemus illi cum Maria et Ioseph, nec unquam divellamur ab illo: *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius; sed laetitiam et gaudium,* Sap. 8. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Iesus *proficiebat*, . . *aetate, et gratia*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod de illo dictum sit Ps. 44., *diffusa est gratia in labiis tuis;* in verbis scilicet et colloquiis ipsius: inde oritur laetitia et gaudium ex convictu ipsius . . . *REFL.* Confirmemus conclusionem nostram in priori puncto factam, de amando Christo super omnia . . . *VOL.* Pergamus indulgere affectui amoris erga Regem nostrum. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema*, 1. Cor. 16. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Iesus *proficiebat sapientia*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod Christus ipsa sit sapientia, quae in omnibus operibus eius elucet, ideoque scriptum est: *Et in operibus manuum illius honestas sine defectione*, Sap. 8. . . . *REFL.* Examinemus opera nostra, quoties in iis inveniatur defectio ab honestate et a fine creationis nostrae . . . *VOL.* Petamus hanc sapientiam in operibus nostris: dicamus Deo: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam . . . ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te*, Sap. 9. . . .

COL. Ad Christum accusando et fatendo defectionem nostram; postulando ut ex mysterio hoc accedat nobis gratia ad *ipsum ardentius amandum, et studiosius sequendum* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXV.

De vita Domini ab anno aetatis suae duodecimo usque ad trigesimum. Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 259.)

CONGR. More solito.

PRAEL. I. Christus videtur fabrilem artem exercuisse. *Nonne hic est faber?* Marc. 6.

PRAEL. II. Imaginem concipere domus, in qua fabrilem artem exercuit.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi mores, et opera Christi Regis nostri.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Convertamus iterum oculos mentis ad personam Christi in domo materna . . . *INTEL.* Contemplemur illum, ut describitur Sap. 7. his verbis: *Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis. . . . omnem habens virtutem . . . REFL.* Cum hisce moribus comparemus nostros . . . *VOL.* Deploremus mores nostros plurimum ab illis Christi diversos; conversi autem ad Christum toti in *amorem eius exardescamus . . .*

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum dicentem: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea*, Ps. 87. . . . *INTEL.* Contemplemur horum verborum partem primam, qua non erubescit *paupertatem*, sed *pauperem* se diserte pronuntiat; idque ut animos nobis addat ad omnem indifferentiam respectu *divitiarum* et *paupertatis*, ne a fine et a salute nostra abducamur . . . *REFL.* Concludamus nos non esse sanae mentis, si talibus Christi verbis non moveamur, et si pergamus erubescere *pauperem* vitam . . . *VOL.* Renovemus affectum indifferentiae: dicamus: *Me tibi penitus offero . . . cum vera tum spiritus, tum etiam rerum paupertate, si (inquam) sanctissimae tuae Maiestati placeat ad tale me vitae institutum eligere atque recipere* (Lib. Exerc. pag. 117.). Offeramus nos quoque ad *effectus paupertatis* sentiendos iuxta regulam 24. Summ.

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Videamus Christum fabri opera facientem. *Nonne hic est faber?* Marc. 6. . . . *INTEL.* Consideremus nunc alteram partem verborum prioris puncti; *et in laboribus a iuventute mea . . . REFL.* Concludamus quam ignavi milites simus nos, qui sub tali Rege, qui nobis verbo et opere inculcat (Lib. Exerc. pag. 116.): *Quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est etc.*, tantopere

laborem horremus . . . *VOL.* Excutiamus et detestemur ignaviam nostram: erigamus animos, et a rebus *vanis et mundanis* nos recipientes ad *laborandum* cum Rege nostro aspiremus. Simus *pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se*, Iacob. 2. . . .

COL. Ad Christum extollendo summam ipsius in nos bonitatem, de quo scriptum est, 2. Cor. 8.: *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi; quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives; ut illius inopia vos divites essetis.* Agamus gratias pro tanto in nos amore, postulando *dona et fructus* Spiritus Sancti, ut *tanto amori* correspondeamus, ipsique *tanto studiosius serviamus et adhaerescamus* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

Nota. Sequuntur Meditationes, quae singulari quodam modo spectant, et dirigendae sunt ad *statum secundum*, sive *perfectionis Evangelicae*. Vide librum *Exercitiorum*, et *Explanationes* (pag. 143.).

MEDITATIO XXXVI.

De ascensu in Templum anno duodecimo, Luc. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 260.)

CONGR. Vt ante dictum, *quod simul atque excitor a somno, meditationem proxime instantem debeo menti obiicere, ac desiderium provocare cognoscendi clarius incarnati aeterni Verbi, ut ipsi serviam et adhaerescam tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem eius perspexero.* (Lib. Exerc. pag. 139.)

PRAEL. I. Natus Iesus annos duodecim e Nazareth profectus est Hierosolymam.

PRAEL. II. Iter illud sibi imaginari.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum imitandi diligenter exercendo virtutem Religionis.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur Christum duodennem cum B. Virgine et Iosepho tendentem Hierosolymam . . . *INTEL.* Consideremus in singulis spiritum et virtutem *Religionis*, per quam *interior et exterior cultus Deo exhibetur* . . . *REFL.* Inspiciamus qualis in nobis sit Religionis virtus interior et exterior . . . *VOL.* Aspiremus ad *hanc virtutem*, quia per illam maxime laudamus et reveremur Deum, ad quod ex fine creationis nostrae obligamur. Imploremus deinde gratiam *istius virtutis*, et statuamus *diligenter eidem studere* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Christum cum Matre et B. Iosepho in via loquentem . . . *INTEL.* Non est dubitandum quin de *virtute Religionis*, de reverentia et cultu Deo persolvendo multa dixerint; ac imprimis illud: *Adorabo ad Templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo*, Ps. 137 . . . *REFL.* Optandum esset ut nostra colloquia sint de simili argumento . . . *VOL.* Doleamus de inutilibus colloquiis, conemurque apud omnes inserere quaedam, quae moveant ad *cultum Dei* dum colloquimur . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam* etc. Luc. 2. . . . *INTEL.* Notant interpretes Archelaum a Caesare eo anno propter crudelitatem pulsum in exilium. Caeterum Christus non tenebatur ea lege, Exod. 23., et Deuter. 16., quae iubebat ut viri ter in anno adirent Tabernaculum, vel Templum; quia erat Dominus legis. Voluit tamen ire, ut nobis praeberet exemplum obediendi in illis quae spectant ad *cultum Dei* . . . *REFL.* Videamus quomodo nos in illis obediamus iuxta statum nostrum . . . *VOL.* Gratias agamus pro tanta bonitate et cura erga nos, qua Christus nos instruxit exemplo ab ipsa iuventute. Amemus tam amantem nostri Magistrum, et studeamus illum imitari . . .

COL. Ad Christum, petendo gratiam *proxime illum in illis sequendi* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXVII.

De ascensu in Templum, anno duodecimo, Luc. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 260.)

CONGR. Per totam secundam Hebdomadam eadem quae in priori Meditatione.

PRAEL. I. Quomodo Iesvs remanserit in Hierusalem inscius Parentibus.

PRAEL. II. Videre Templum Hierosolymis ad quod Christus ibat.

PRAEL. III. Petere gratiam ut *Christum ab ipsa adolescentia imitari possim*: vel si id neglectum sit tempus, ut nunc *tanto perfectiori imitatione id possim compensare*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere Christum duodennem sine Parentibus in Hierusalem . . . *INTEL.* Perpendamus et consideremus eum initium dedisse illi statui, quem postea descripsit, Matt. 19.: *Qui reliquerit . . . patrem aut matrem* etc. Atque ita exhibuit se exemplum *status secundi*, qui est *Evangelicae perfectionis* . . . *REFL.* Si nos reliquerimus eius exemplo patrem aut matrem, inquiramus an etiam *animo et mente ac affectu eos reliquerimus juxta* reg. 8. Summ. . . . *VOL.* Confiteamur hic infirmitatem nostram, et regulam illam relegamus ac sedulo observemus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audire Christum in illa quasi solitudine sine Parentibus loquentem . . . *INTEL.* Audiamus illum ex Ps. 26. dicentem: *Quoniam Pater meus et Mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me*: nam sine illo Parentes discesserant . . . *REFL.* Discamus inde quod relinqui et amoveri a consanguineis sit dispositio, ut Dominus assumat nos . . . *VOL.* Gratias agamus Deo quod nos ea gratia dignos effecerit; si tamen, ut ante dicebamus, etiam *affectu* remoti simus: offeramus nos Deo ut assumat nos . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Videre Christum *in medio doctorum audientem illos, et interrogantem eos,* Luc. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod Christus ab anno duodecimo, quando exacta pueritia inchoatur adolescentia, statim initium dederit executioni finis, ob quem missus erat, scilicet ut esset noster Doctor, et tamquam summus Doctor in medio sedebat . . . *REFL.* Cogitemus quot annos neglexerimus, antequam coeperimus bene exequi finem ob quem creati sumus . . . *VOL.* Doleamus de tempore pretioso neglecto; et maiori zelo id deinceps compensemus. *Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua,* Thr. 3. . . .

COL. Ad Christum petendo ut nos sua gratia inflammet ad delenda *delicta iuventutis, et resarcienda damna, quae in negotio salutis passi sumus* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXVIII.

De ascensu in Templum anno duodecimo. Luc. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 260.)

CONGR. Vt supra.

PRAEL. I. Quomodo post triduum inventus sit in Templo inter doctores.

PRAEL. II. Repraesentare sibi locum illum Templi.

PRAEL. III. Petere gratiam *obediendi* Christo vocanti ad *perfectionem Evangelicam.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Considerare B. Virginem et Beatum Iosephum solicitos in quaerendo Iesu . . . *INTEL.* Erant *dolentes.* Nam postea dicebant: *Dolentes quaerebamus te,* Luc. 2. Esse sine Iesu gravis est desolatio, quae ut detergatur quaerendus est Iesus . . . *REFL.* Inquiramus causas desolationum nostrarum, et an satis disponamus nos ad consolationem Iesum quaerendo iuxta reg. 9. et seqq. Hebd. 1. de *disc. spir.* . . . *VOL.* Coniungamus studia nostra

quaerendi Iesum cum B. Virgine et S. Iosepho. Dicamus cum S. Bernardo: *IESV dulcis memoria, dans vera cordi gaudia etc.* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Iesus ait ad illos: . . *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. . . *INTEL.* Ratiocinemur forti illa interrogatione *nesciebatis?* etc. Christum tamquam manifestam veritatem inculcare, deserendos esse parentes, consanguineos, etc. ut Deum vocantem sequamur . . . *REFL.* Notemus hoc idem esse quod meditati sumus *in Fundamento*; abstinendum scilicet ab rebus creatis quibusvis, quando ad finem prosequendum obsunt . . . *VOL.* Gratias agamus Deo quod ad statum *Evangelicae perfectionis* nos vocavit: sed confundamus nos quod postquam maiora propter ipsum reliquimus, propter res parvas saepe obsequium eius omittamus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Invenerunt illum in Templo*, Luc. 2. . . . *INTEL.* Discamus Christum inveniri in *Templo*, in *oratione*, et *exercitiis spiritualibus* . . . *REFL.* Notemus id conforme esse reg. 6. Hebd. 1. *disc. spir.*, ubi docemur *insistere orationi* etc., dum sumus in desolatione . . . *VOL.* Statuamus accurate observare reg. 1. Com., et quotidie *rebus spiritualibus* nos impendere *cum omni diligentia in Domino* ut Christum inveniamus . . .

COL. Ad Christum, ut in statu *Evangelicae perfectionis* digne progredi, eumque in *quotidianis exercitiis spiritualibus* invenire et conservare possimus . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXIX.

De duobus Vexillis. (Lib. Exerc. pag. 145.)

Haec Meditatio capitalis satis exponitur in libro *Exercitiorum* pag. 145., praesertim si addantur *Explanationes*. De hac Meditatione sic loquitur S. P. no-

ster. *Transigetur hoc Exercitium semel in media nocte, et altera vice sub auroram. Repetitiones vero duae ... erunt faciendae, additis in fine tribus colloquiis* (ibid. pag. 151.). Ex quibus patet quam alte haec Meditatio per *repetitiones* animo imprimenda sit, quippe cum qua reliquae meditationes, quae sequuntur, connectendae sunt.

MEDITATIO XL.

De tribus Hominum classibus. (Lib. Exerc. pag. 152.)

Haec Meditatio cum suo *Notando* etiam satis exposita est in Libro *Exercitiorum*, et in *Explanationibus* pag. 152.

MEDITATIO XLI.

De tribus gradibus Humilitatis. (Lib. Exerc. pag. 163.)

Hi *tres modi Humilitatis* vel in meditatione, vel extra eam cum suis colloquiis non possunt satis repeti, et animo versari, sicut dictum in *Explanatione* : etiam per totum vitae decursum per intervalla identidem revolvi debent, et eorum *spiritu* meditationes aliae imbui. Quando ergo per modum meditationis *modos illos tres* volumus considerare; tunc erit.

CONGR. Quae semper.

PRAEL. I. Historica quaedam consideratio vexilli Christi, qui omnes homines ad se vocat sub vexillo suo congregandos.

PRAEL. II. Repraesentare nobis campum amplissimum circa Hierosolymam, in quo Dominus Iesus Christus tamquam bonorum omnium summus Dux assistat.

PRAEL. III. Petere gratiam ad veri optimique Imperatoris Christi agnoscendos *mores ingenuos*, *atque ad imitandum eosdem.*

Puncta tria correspondent *tribus modis Humilitatis*, qui cum suis colloquiis satis explicantur in libro *Exercitiorum*, et in *Explanationibus* pag. 163.

MEDITATIO XLII.

De Baptismo Christi. Matt. 3.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 261.)

CONGR. Manet ut ante dictum.

PRAEL. I. Christus Matri valedicens ad Iordanis flumen se contulit, ubi tunc Ioannes baptizabat.

PRAEL. II. Imaginari sibi domum ubi valedixit Matri, et iter ad Iordanem.

PRAEL. III. Petere gratiam *sequendi Christum quocumque nos vocaverit.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus in Nazareth Christum et Matrem eius . . . . *INTEL.* Consideremus summum *amorem* B. Virginis erga Christum; sciebat enim *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloss. 2. Vicissim Christus Matrem summe *amabat* iuxta illud Ioan. 14.: *Si quis diligit me . . . . et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:* eratque amor ille utrimque *purus* et *supernaturalis* . . . *REFL.* Examinemus *charitatem* nostram fraternam; an non innitatur potius affectui naturali, quam supernaturali propter Deum? . . . *VOL.* Timeamus ne in iudicio Divino nullum aut exiguum meritum inveniamus ex nostra fraterna *charitate*, et observemus reg. 29. Summ.: quae praecipit, ut *Deum quisque in alio, ut in illius imagine, agnoscere studeat.*

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum, non obstante tanto *amore mutuo* qui totus referebatur ad laudem Dei, valedicentem Matri suae . . . *INTEL.* Credibile est Christum his aut similibus verbis usum: iam tempus venit quo deinceps *in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse,* Luc. 2. Itaque discedendum quo Pater mittit. B. Virgo vero reposuit haec aut similia: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* Luc. 1. . . . *REFL.* Conferamus indif-

ferentiam nostram cum illa . . . *VOL.* Renovemus affectus indifferentiae conceptos in meditatione *Fundamenti* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Videamus Christum denique descendentem ad Iordanem . . . *INTEL.* Sic implevit Christus illud quod dictum fuerat Abrahamo, Gen. 12.: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua,* etc.: item id quod postea docuit Matth. 19.: *Qui reliquerit . . . patrem aut matrem,* etc.; tenuitque erga Matrem *spiritualem* semper amorem, qui non impediebat missionem suam . . . *REFL.* Examinemus an iuxta reg. 8. Summ. noster erga cognatos amor sit etiam sic *spiritualis,* ut obsequium Dei et animarum non impediat? . . . *VOL.* Agnoscamus culpam nostram, quod sensuum rebellioni nonnonquam hic succubuerimus. Petamus veniam et decernamus regulam illam cordi habere . . .

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi;* (Lib. Exerc. pag. 113.) petendo gratiam exemplo Christi *perfectissime satisfaciendi vocationi et missioni nostrae* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XLIII.

De Baptismo Christi. Matt. 3.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 261.)

CONGR. Desiderium clarius cognoscendi incarnati Verbi, ut supra explicatum.

PRAEL. I. Baptizatus est a Ioanne excusante se primum de indignitate.

PRAEL. II. Conspicari locum baptismi ad Iordanem.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum* non tantum *verbo et lingua;* sed *opere et veritate diligendi, ac sequendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueri Iesum ad Iordanem inter caeteros, qui venerant ut a Ioanne baptizarentur . . . *INTEL.* Consideremus Christum

inter illos peccatores *humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum forma et aspectu summe amabilem* (Lib. Exerç. pag. 149.) . . . *REFL.* Examinemus quomodo nos fugiamus *humilem* locum, et quam fuerimus frigidi in amore Regis tam amabilis . . . *VOL.* Deprimamus et humiliemus nos ipsos; accusemusque superbiam et tepiditatem nostram, desideriumque excitemus non modo *agnoscendi*, sed etiam *imitandi ingenuos Christi mores* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum Ioanni ob indignitatem suam recusanti eum baptizare dicentem: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam*; Matth. 3. . . . *INTEL.* Nimirum per *paupertatem* et *humilitatem* impletur omnis iustitia, quia illi *perfectionis gradus virtutes omnes statim introducunt* . . . *REFL.* Ideo nobis tot desunt virtutes, nec implemus omnem iustitiam, quia deest *paupertas, abiectio sui*, atque *humilitas* . . . *VOL.* Renovemus affectus erga *tres illos perfectionis gradus*, quos in meditatione *de duobus Vexillis* excitavimus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Tunc dimisit eum. Baptizatus autem Iesus* etc., Matth. 3. . . . *INTEL.* Ratiocinemur Christum id, quod de baptismo suo Ioanni dixerat, statim opere ipso praestitisse et baptizatum fuisse . . . *REFL.* Nos sumus in illa classe hominum, qui *paupertatem* et *abiectionem sui* loquuntur; at vero *media debitaque adminicula toto vitae tempore non admovent* (Lib. Exerc. pag. 155.): et ad *effectus paupertatis et abiectionis sui* nunquam pervenimus . . . *VOL.* Conemur nos firmissima voluntate collocare in tertia classe; optemusque serio *paupertatis et abiectionis sui effectus* aliquos experiri iuxta reg. 14. et 24. Summ. . . .

COL. Prout habetur post Meditationem *de tribus hominum Classibus* (Lib. Exerc. pag. 156.) . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XLIV.

De Baptismo Christi. Matt. 3.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 262.)

CONGR. Sicut proxime dictum fuit.

PRAEL. I. Quomodo descenderit super Christum baptizatum Spiritus Sanctus.

PRAEL. II. Aspicere locum baptismi, et Coelum super eum apertum.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi proxime Christum*, ut cum eo tandem in veram *Gloriam intrare* possimus.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei coeli*, Matth. 3. . . . *INTEL.* Aperto coelo contemplemur coelites: atque ipsum Deum cum omnibus coelitibus cum gaudio et complacentia aspicientem Christum in illo *humilitatis* actu constitutum, ex quo implebatur omnis iustitia. *Oculi Domini super iustos*, Ps. 33. . . . *REFL.* Nos a nobis avertimus benignos illos Dei oculos ob defectum *humilitatis* . . . *VOL.* Optemus ut oculi coelitum etiam cum complacentia nos respiciant, et ut possimus dicere Deo cum regio Propheta: *Respexisti humilitatem meam*, Ps. 30. . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM. Et ecce vox de coelis dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. . . . *INTEL.* Haec vox testatur Christum esse filium Dei: atque adeo Regem, *cui Principes et populi omnes* . . . *reverentiam et obsequium praestare debeant* (Lib. Exerc. pag. 114.) . . . *REFL.* Examinemus quomodo nos hactenus reverentiam et obsequium Regi illi divino praestiterimus . . . *VOL.* Excitemus affectum purae et benevolae charitatis erga Regem tam amabilem; exhibeamus illi honorem et reverentiam; nosque totos ipsi devoveamus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Aperti sunt coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam*,

et venientem super se, Matth. 3. . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo dum Christus se in terra cum peccatoribus *humiliat*, e coelo non tantum aspectu et verbis; sed etiam operibus et miraculis *exaltetur*, misso Spiritu Sancto in forma columbae. *Qui se humiliaverit exaltabitur*, Matth. 23. . . . *REFL.* Hinc discamus a contrario quam non simus sanae mentis, si sub vexillo diaboli per *divitias* et *honores* nos velimus exaltare; nam scriptum est Matth. 23.: *Qui autem se exaltaverit, humiliabitur* . . . *VOL.* Abominemur falsam ac vanam mundi exaltationem, accusemus insaniam nostram, qui aliquando honoris illo fumo nos oblectavimus: *humilem* Christum deinceps sequamur . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.).
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XLV.

De tentatione Christi, Luc. 4. et Matth. 4.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 262.)

CONGR. Desiderium adhaerescendi Christo, sicut explicatum pluribus est.

PRAEL. I. Post baptismum secessit in desertum Christus, et ibi per dies quadraginta et totidem noctes ieiunavit.

PRAEL. II. Locum deserti inspicere.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum in amore solitudinis, et in gula domanda sequendi.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Convertamus oculos mentis ad Christum in deserto . . . *INTEL.* Contemplemur illum *solum*, remotum ab aspectu, congressu, et tumultu hominum . . . *REFL.* Discamus hinc a rebus *vanis* et *mundanis* nos ipsos recipere, ut tria illa *commoda*, quae a S. P. nostro Annot. 20. enumerantur, possimus percipere . . . *VOL.* Dicamus ad Christum illud, Cant. 8.: *Quis mihi det te fratrem*

meum, ... ut inveniam te foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat? foris, inquam, in *solitudine* extra hominum tumultum . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Iesum in *solitudine* loquentem; sed cum solo Patre suo coelesti . . . *INTEL.* Ratiocinemur hunc esse unum fructum, qui percipitur ex solitudine iuxta Annot. 20. (Lib. Exerc. pag. 68.): *Quod quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quaerendum attingendumque Creatorem et Dominum suum*, etc. *REFL.* Respiciamus nos ipsos an non laboremus morbo amori *solitudinis* prorsus contrario, qui in Industriis P. Claudii, cap. 6. vocatur *Effusio ad exteriora?* . . . *VOL.* Agnoscamus infirmitatem et culpam nostram, quod remedia contra morbum spiritualem tam noxium non adhibuerimus: oremus Deum, ut animae nostrae faciat, sicut loquitur Osee 2.: *Ecce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus; postea esuriit*, Matt. 4. . . . *INTEL.* Hinc discamus neminem esse aptum ad vitam *Apostolicam*, qui vitium capitale *gulae*, et rebellionem sensus istius non expugnaverit . . . *REFL.* Videamus quousque haec in nobis expugnata sit? . . . *VOL.* Decernamus regulas *de victu temperando* (Lib. Exerc. pag. 204.), et Additionem 10. *de poenitentia in victu* (ibid. pag. 57.), bene observare . . .

COL. Petamus gratiam *hostem* illum expugnandi, et *solitudinem* amandi.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XLVI.

De tentatione Christi, Luc. 4. et Matth. 4.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 262.)

CONGR. Sicut nunc dictum est.

PRAEL. I. Quomodo Christus ter a diabolo fuerit tentatus.

PRAEL. II. Oculis mentis videre diabolum cum Christo, et locum solitudinis conspicari.

PRAEL. III. Poscere *exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas* (Lib. Exerc. pag. 147.).

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Aspiciamus diabolum apud Christum in deserto . . . *INTEL.* Hinc patet quam verum sit, quod dux impiorum daemones *per totum orbem spargit ad nocendum* . . . *nullis personarum generibus immunibus relictis* (ibid. pag. 148.) . . . *REFL.* Concludamus quod merito nobis dictum sit, 1. Petri 5.: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret* . . . *VOL.* Accusemus incuriam nostram contra hostem tam vigilem. Oremus Deum, ut gratia sua nos praeveniat et excitet; et statuamus cum Christo *vigilare* et *sobrietatem* sectari...

PVNCT. II. — VERBA — *MEM. Tentator dixit*: *si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* . . . *Si filius Dei es, mitte te deorsum* . . . *Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum; et dixit ei*: *haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, Matth. 4. . . . *INTEL.* Notemus ordinem tentandi iuxta regulas de *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 303.). Solet diabolus primum *illecebras carnis et sensuum delectationes obiicere*; ut, si peccatores sint, teneat illos peccatis plenos: si peccatores non sint, sicut statim deprehendit Christum non esse, nec proinde delectationem gulae in ipso locum habere, multo minus carnis; tunc immittere conatur *molestias* . . . *rationes falsas, et alias id*

genus perturbationes: hinc tentatio illa sequitur: *Mitte te deorsum*, etc. Non solet vero omittere tres praecipuos tentationum gradus *in divitiis, honoribus, et superbia* fundatos. Ideoque non tantum ostendit *omnia regna mundi*, sed etiam *gloriam eorum*, et de utrisque dicit: *Haec omnia tibi dabo*, etc. . . . *REFL.* Iuxta regulas de *disc. spir.* examinemus tentationes nostras . . . *VOL.* Inter tot tentationes et hostes positi diffidamus propriis viribus, et *certam fiduciam* collocemus in auxilio Dei, *quoniam a dextris est mihi ne commovear*, Ps. 15.

PVNCT. III. — OPERA — *MEM.* Christus *tentabatur a diabolo*, Luc. 4. . . . *INTEL.* Ratiocinemur Christum Regem, Ducem, ac optimum Imperatorem nostrum voluisse pugnam illam sustinere, ut nobis animos daret iuxta illud quod militibus suis dicebat: *In iisdem quoque laboribus, vigiliis, et casibus caeteris mecum persistendum erit ut particeps fiat victoriae*, etc. (Lib. Exerc. pag. 115.) . . . *REFL.* Cogitemus quam ignavi nos simus milites et vituperio digni, qui post tale Ducis nostri exemplum in pugna contra diabolum trepidamus et animis cadimus . . . *VOL.* Pudeat nos tantae pusillanimitatis, et iuxta regulas de *disc. spir.* (ibid. pag. 303.), in Dei virtute collocemus *spem* nostram, et animum nostrum corroboremus, et memores simus, *quod hostis noster naturam et morem muliebrem refert*, etc. (ibid. pag. 311.) . . .

COL. Quo poscamus *exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas*, (Lib. Exerc. pag. 147.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XLVII.

De tentatione Christi, Matt. 4.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 263.)

CONGR. Propria huic hebdomadae.

PRAEL. I. Quomodo post tentationem accesserint Angeli, et ministraverint Christo.

PRAEL. II. Fingere sibi locum, ubi Angeli ministrabant.

PRAEL. III. Petere gratiam *bene intelligendi et observandi regulas de discernendis spiritibus*, (Lib. Exerc. pag. 303. et 313.).

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspicere Christum finita tentatione. Nam *consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus*, Luc. 4. . . . *INTEL.* Contemplemur Christum liberum quidem ab illa tentatione consummata, non tamen liberum ab omni futura. Ideoque Lucas dicit quod *diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Sane postea diabolus opera praecipue Iudaeorum varie Christum persecutus est . . . *REFL.* Discamus hinc iuxta reg. 10. Hebd. 1. de disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 310.), *quod fruenti homini consolatione prospiciendum est quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente*, etc. . . . *VOL.* Spem nostram collocemus in illis verbis Christi, *confidite, ego vici mundum;* Ioan. 16. Mundum, inquam, cuius diabolus regna Christo ostendit, ut eum tentaret: cum vero tentatio dat inducias et diabolus recessit, tunc iuxta regulas supradictas *iam inde acrimoniam et robur animi mature comparemus ad impetum eius reprimendum* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus quibus verbis Christus diabolum represserit. *Non in solo pane vivit homo etc. Non tentabis Dominum Deum tuum*, etc. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, Matt. 4. . . . *INTEL.* Perpendamus omnia verba haec esse deprompta ex sacra Scriptura, sive ex verbo Dei, hoc enim maxime horret diabolus . . . *REFL.* Hinc concludamus multum nobis profuturum, si quasdam Scripturae *sententias* in promptu habuerimus, quas tentationibus opponamus . . . *VOL.* Statuamus nobis talia arma ex Scriptura comparare, et Deo dicamus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*, Ps. 118. . . .

PVNCT. III. — OPERA — *MEM.* Et ecce *Angeli ac-*

cesserunt, et ministrabant ei, Matt. 4. . . . *INTEL.* Erant hi Angeli boni. Notemus igitur quod iuxta reg. 2. Hebd. 1. de disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 305.) *spiritui autem bono . . . proprium consuetumque est recte agentibus animum ac vires addere, consolari*, etc. . . . *REFL.* Concludamus quod dum sumus in tentatione aut desolatione iuxta reg. 8. (Ibid. pag. 309.) *accersenda etiam spes est, et cogitatio adfuturae brevi consolationis* . . . *VOL.* Generose cum Christo contra diabolum pugnemus: et statuamus illi *erecto ac constanti vultu obsistere*; excutiamus timorem omnem. Nam adest nobis *Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen eius*, Exod. 15. . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XLVIII.

De Apostolorum vocatione.

Myst. Punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 263.)

CONGR. Considerare incredibilem Dei in nos bonitatem, sicut plenius expositum est.

PRAEL. I. Quomodo Petrus et Andreas a Christo vocati sint.

PRAEL. II. Conspicari locum in Galilaea, ubi cum Christo egerunt.

PRAEL. III. Petere gratiam ne *obsurdescamus vocante nos Christo; sed ut sequamur prompte.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Intueamur Petrum et Andream, eorumque abiectam conditionem, *erant enim piscatores*, Matt. 4. . . . *INTEL.* Consideremus, quod sicut Christus non in cathedra, ut Lucifer; sed *humili* est constitutus loco; sic *pauperes* et *humiles* sub vexillo suo vult congregare. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* Isa. 66. . . . *REFL.* Cogitemus an nos spiritu saltem simus *pauperes* et *humiles*? . . . *VOL.* Deploremus nostram vanitatem,

quod amorem mundanum culpa nostra sinamus in nobis dominari: excitemus affectum purae charitatis erga Iesum in sua *humilitate* tam amabilem: optemus ut gratia sua faciat nos similes sibi. *Bonum mihi quia humiliasti me; ut discam iustificationes tuas*, Ps. 118. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* In memoriam revocemus verba, quibus Christus fratres hos duos vocavit . . . *INTEL.* Perpendamus quam *fortiter* et *suaviter* vocaverit. Cum audito Ioanne se sequerentur, ultro illos alloquitur dicens: *Quid quaeritis?* interrogantibus autem, *ubi habitas? dicit eis: venite et videte*; sic invitans eos, Ioan. 1. *Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum*, non mandavit; postea dixit: *Ex hoc iam eris homines capiens*, Luc. 5. Denique utrisque dixit: *venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum*, Matt. 4.; loquens semper ex eorum genio de piscatione . . . *REFL.* Applicemus nobis ista, ut discamus animas capere iuxta vocationem nostram . . . *VOL.* Imploremus gratiam Dei, ut possimus cum Apostolo dicere, 1. Cor. 9. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. At illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum*; Matt. 4. . . . *INTEL.* Notemus ex parte duorum illorum fratrum *promptitudinem* in sequendo; ex parte vero Christi, quomodo illos *gratiae donis super omnes veteris Testamenti Patres, novique Sanctos* evexerit: non per stultam mundanam gloriam, sed per veram spiritualem et divinam . . . *REFL.* Nos interea vocante nos Christo haeremus in *prima*, vel *secunda* hominum *classe*; et pergimus stulte *mundano amori* indulgere . . . *VOL.* Confundamus nos propter ignaviam et caecitatem nostram, et magno affectu dicamus: *En o Rex supreme*, etc. (Lib. Exerc. pag. 117.)

COL. Sicut post meditationem *de tribus hominum Classibus* (Ibid. pag. 156.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XLIX.

De Apostolorum vocatione.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 264.)

CONGR. Excitare desiderium cognoscendi clarius humilis et amabilis Iesu in nos charitatem.

PRAEL. I. Quomodo Iacobus, Ioannes, Philippus, et Matthaeus vocati sint.

PRAEL. II. Aspicere navim filiorum Zebedaei; locum ubi Philippus cum Nathanaele loquebatur, et telonium Matthaei.

PRAEL. III. Petere gratiam *corrigendi vitam suam, et Christum sequendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Aspicere *Iacobum Zebedaei, et Ioannem fratrem eius in navi reficientes retia*, Matth. 4. Philippum vero cum Nathanaele loquentem, Ioan. 1. Matthaeum denique sedentem in telonio, Matth. 9. . . . *INTEL.* Consideremus horum ignobilitatem. Nullus aliquod inter homines nomen habebat. Matthaeus habebat etiam nomen publicani et peccatoris . . . *REFL.* Cogitemus quales nos fuerimus, dum fuimus vocati? . . . *VOL.* Agnoscamus nos fuisse miseros peccatores. Extollamus incredibilem Dei bonitatem in nos. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus*, Rom. 5. vocavit et liberavit nos . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* De Iacobo et Ioanne legitur, Matth. 4. *Et vocavit eos.* De Philippo Ioan. 1. *Et dicit ei Iesus: sequere me.* De Matthaeo Matth. 9. *Et ait illi: sequere me* . . . *INTEL.* Ratiocinemur sermones Christi conditos fuisse fructibus Spiritus Sancti: ita ut in eis gustaretur quodammodo *charitas, bonitas, benignitas; mansuetudo, modestia, fides*, etc. Hinc Philippus dicebat Nathanaeli, Ioan. 1.: *Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetae, invenimus Iesum* . . . *REFL.* Discamus hinc quales debeant esse sermones nostri . . . *VOL.* Dicamus culpam no-

stram, quia in nostris verbis saepe contrariae conditiones inveniuntur. *Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate;* inquit Apostolus Philip. 4. Quae vero cogitamus, illa et loquimur. Sequamur hanc admonitionem . . .

PVNCT. III. — OPERA — *MEM.* Christus Iacobo et Ioanni dedit *nomina Boanerges, quod est filii tonitrui,* Marc. 3. Philippus significat equestris, bellicosus, amator equorum. Matthaeum a telonio ad coelestes divitias vocavit . . . *INTEL.* Ratiocinemur quomodo omnes illi opere impleverint vocationem et nomen suum. Iacobus et Ioannes instar *tonitrui* Apostolatu suo mundum commoverunt; Philippus cum Christo Rege suo studuit sub vexillo eius *inimicos eius debellare omnes:* Matthaeus drachmam Evangelicae *paupertatis* invenit, et ad finem usque conservavit . . . *REFL.* Videamus nos quoque an opera nostra respondeant *vocationi* nostrae, et nomini *Socii Iesu* . . . *VOL.* Imitemur Apostolos illos, cogitemus quod etiam a Deo simus vocati *in Societatem filii eius Iesu Christi Domini nostri,* 1. Cor 1. Diligamus eum, sequamur eum non *verbo neque lingua, sed opere et veritate,* 1. Ioan. 3., ut cum Apostolis exaltemur ad gloriam Regis nostri . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.)

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO L.

De Apostolorum vocatione.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 264.)

CONGR. Non variatur.

PRAEL. I. Quomodo Christus caeteros Apostolos vocaverit, ut se sequerentur.

PRAEL. II. Videre regionem Galilaeae, et loca ubi vocati fuerunt.

PRAEL. III. Petere gratiam *perfecte militandi sub vexillo Christi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Oculos convertamus ad Apostolos universos; etiam ad illos quorum vocatio non tam accurate descripta est . . . *INTEL.* Perpendamus quam bene de illis dicatur illud 1. Cor. 1. *Videte enim vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* . . . *REFL.* Discamus hinc, *perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos* recipere ad *abiectionem* et *humilitatem* vexilli Christi . . . *VOL.* Dicamus in spiritu humilitatis: *elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*, Ps. 83.: et dum gloria Dei par esset, eligamus potius vilem Apostolorum et a mundo derisum statum, quam divitias aut honores . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audire quam *suaviter* simul ac *fortiter* singuli sint vocati . . . *INTEL.* Ratiocinemur, quamvis verba vocationis de singulis non legantur in Scriptura, hoc tamen fuisse eius argumentum. *Mea haec est iustissima voluntas totius mundi dominium mihi vindicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare: proinde quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (Lib. Exerc. pag. 115.): hic est sensus vocis illius *sequere me* . . . *REFL.* Ratiocinemur nos non esse *sanae mentis*, si cum Apostolis Christum avidissime non sequamur . . . *VOL.* Agamus gratias pro *suavi* simul ac *forti* vocatione, qua nos vocavit ad Societatem suam Christus; et ut testemur reciprocum amorem, statuamus nos in *tertio gradu humilitatis* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus *vocavit discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit).* Luc. 6. . . . *INTEL.* Perpendamus dignitatem *Apostolatus*, quod *legationem* significat. Hinc dicit Apostolus, 2. Cor. 5.: *Pro Christo ergo legatione fungimur* . . . *REFL.* Concludamus hanc legationem coniunctam cum *opprobriis* et *paupertate* a nobis debere aestimari prae omnibus dignitatibus, quas mundani homines tantopere ambiunt . . . *VOL.* Nos igitur iuxta *tertium humilitatis modum* (Lib. Exerc. pag. 165.) optemus, et eligamus *pro nomine Iesu contumeliam pati;* Act. 5.: ut spretis vanis et stultis dignitatibus humanis, possimus cum Apostolis et cum Christo exaltari ad gloriam et dignitatem immarcescibilem . . .

COL. Sicut post *tres modos humilitatis*, (Lib. Exerc. pag. 169.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LI.

De primo Christi miraculo facto in nuptiis, Ioan. 2.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 264.)

CONGR. Simul atque evigilo delibare pridie paratam meditationem, ut supra dictum.

PRAEL. I. Quomodo *invitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias* (Lib. Exerc. pag. 264.).

PRAEL. II. Conspicari locum convivii in Cana Galilaeae.

PRAEL. III. Petere gratiam *semper vivendi cum Iesu et Maria.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Introeamus mente in locum convivii, et videamus Iesum cum Matre et discipulis suis accumbentem . . . *INTEL.* Contemplemur modestiam, temperantiam, abstinentiam etc. . . . *REFL.* Comparemus nostrum *comedendi morem* cum illo Christi, et Mariae, ac discipulorum . . . *VOL.*

Accusemus coram Deo vitia gulae nostrae, et statuamus iuxta reg. 5. *de victu temperando* (Lib. Exerc. pag. 208.); et assuescamus *inter comedendum imaginari quasi videamus Iesum Christum Dominum nostrum vescentem cum suis discipulis* etc. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias*; Ioan. 2. . . *INTEL.* Iesus vult oratione *zelosa humili et ferventi* vocari, ut veniat ad nos . . . *REFL.* Examinemus nos quia interdum aliqui Iesum adeo non rogant ut veniat; ut potius impediant et agant ne veniat; ut scilicet genio et sensui liberius indulgeant . . . *VOL.* Absit a nobis tanta insania. Dicamus cum S. Bernardo: *Desidero te millies, mi Iesu, quando venies, me laetum quando facies, me de te quando saties?* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Erat Mater Iesu ibi: vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur Christum opere et exemplo suo, quo interfuit nuptiis, docuisse quod contemnendi non sunt ii, qui manent in *primo statu* et communi, in quo debent observari mandata Dei; non debent, inquam, contemni ab illis qui sunt in statu *perfectionis Evangelicae* . . . *REFL.* An nos non contemnimus interdum illos et iudicamus? et tamen saepe tales nobis praeferentur in die iudicii . . . *VOL.* Agnoscamus hic *superbiam* nostram, ex qua oriuntur talia iudicia: et memores verborum Christi Matth. 7., *nolite iudicare, et non iudicemini*, abstineamus deinceps a iudiciis temerariis . . .

COL. Quo petatur *spiritus humilitatis et cognitionis sui ipsius*, ut nos ipsos potius iudicemus quam alios: atque Christi exemplum semper prae oculis habeamus . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LII.

De primo Christi miraculo facto in nuptiis, Ioan. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 265.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo B. Virgo dixerit Christo, *vinum non habent*; et ministris, *quodcumque dixerit vobis facite*, Ioan. 2.

PRAEL. II. Locum ubi haec dicta sunt sibi imaginari.

PRAEL. III. Petere gratiam *fiduciae in patrocinio B. Virginis, et perfecte adimplendi quidquid Christus iusserit*.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Sponsam et Sponsum anxios solicitos ac turbatos, deficiente vino, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod sicut, *deficiente vino*, turbati fuerunt in nuptiis illis, quamvis Christus praesens esset: ita quamvis Christus nobis praesens sit, saepe tamen, *deficiente vino consolationis*, premat nos desolatio, nihilominus *assistente nobis iugiter praesidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur*; sicut habetur reg. 7. Hebd. 1. *de disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 308.) . . . *REFL.* Hinc sicut habetur ibidem, *cogitandum est nos interim relinqui a Domino nobis ipsis probationis causa*: sicut sponsos illos ob similes causas aliquandiu reliquit sibi ipsis . . . *VOL.* Magnis igitur animis et magna patientia sustineamus desolationes, et iuxta reg. 11. ibid. qui est in desolatione, quasi certus de Deo praesente, *in Dei virtute colloeet spem suam et animum suum corroboret*. *Dominus a dextris est mihi ne commovear*, Psal. 15. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Dicit Mater Iesu ad eum: vinum non habent*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Perpendamus Christum desiderio et patrocinio Matris mox satisfecisse. Nam quando respondit, *nondum venit hora mea*, Ioan. 2.; per illud *nondum* satis significabat se facturum id quod petebatur . . . *REFL.* Nos

hinc discamus dum deficiet vinum consolationis, et in quacumque necessitate adhibere patrocinium B. Virginis . . . *VOL.* Excitemus affectus *fiduciae*, et teneri *amoris* erga B. Virginem: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc in hac desolatione, in hac necessitate, et in hora mortis nostrae, amen*...

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Dicit Mater eius ministris: quodcumque dixerit vobis facite* . . . *Dicit eis Iesus: implete hydrias aqua, et impleverunt eas usque ad summum*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Notemus hic promptam integram et caecam obedientiam ministrorum, quam B. Virgo ex spiritu Christi illos docuerat: caeca erat quia iussi fundebant, excaecato quasi intellectu suo, aquam, cum desideraretur vinum... *REFL.* Comparemus cum hac obedientiam nostram... *VOL.* Excitemus desiderium ingens pertingendi ad *perfectionem obedientiae*, quae in epistola S. P. nostri, et in regulis nobis praescribitur, et statuamus *prompte perfecte ac caece obedire* . . .

COL. Ad B. Virginem, Christum, et Deum Patrem ad gratiam *perfectae obedientiae* impetrandam. . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LIII.

De primo Christi miraculo facto in nuptiis, Ioan. 2.

Myst. Punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 265.)

CONGR. Excitare desiderium cognoscendi Christi, sicut dictum est.

PRAEL. I. Quomodo Christus converterit aquam in vinum, et manifestaverit gloriam suam.

PRAEL. II. Mente iterum adire locum convivii.

PRAEL. III. Petere gratiam *Dei, gloriam promovendi per veram obedientiam.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus quomodo B. Virgo fuerit constituta, postquam audiverat a Christo *nondum venit hora mea*, Ioan. 2.... *INTEL.*

Contemplemur in ea magnam animi *tranquillitatem*; relinquebat Filio curam temporis et totius rei, certa quod faceret id quod esset ex obsequio Dei ... *REFL.* Nos vero postquam Superiori, quem Dei loco habemus, exposuimus res nostras, saepe manemus in animi *perturbatione* et *inquietudine* ... *VOL.* Accusemus nos et doleamus de hoc vitio, decernamusque deinceps melius observare reg. 46. Summ. quae praescribit, *ut cum verbo aut scripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositae relinquant*, etc. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* *Dicit eis Iesus: haurite nunc, et ferte Architriclino* Ioan. 2. . . *INTEL.* Pergit Christus hisce verbis probare et exercere *caecam obedientiam* ministrorum. Nil dicit de vino; non dicit aquam in vinum conversam; sed *nunc*, hoc est postquam aqua hydrias implevistis, facite quod porro dicturus sum, idque caeco modo *nihil interrogantes*, *nihil contradicentes* haurite ex hydriis, et ferte Architriclino . . . *REFL.* Consideremus quam haec omnia conformia sint regulis nostris et epistolae S. P. nostri *de Obedientia* . . . *VOL.* Gratias Deo agamus pro tam salutari doctrina obedientiae, quam B. Virgo ministros docuerat, et quam Christus suis verbis et imperiis tam luculenter probavit: excitemus fiduciam erga Christum quod, si ita obedientes fuerimus, ipse etiam aquas tribulationis nostrae sit mutaturus in vinum consolationis . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus convertendo aquam in vinum *manifestavit gloriam suam*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Christus semper hoc habuit prae oculis, ut miraculis ac omnibus verbis et operibus suis semper divinitatis suae, hoc est Dei gloriam manifestaret. Ideo postea dixit Ioan. 17. Patri suo, *manifestavi nomen tuum hominibus* . . . *REFL.* Concludamus nobis quoque incumbere per opera nostra omnia gloriam Dei manifestare. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et*

glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est, Matt. 5 ... *VOL.* Renovemus affectus conceptos in meditatione *Fundamenti* de fine, ob quem creati sumus, scilicet ad laudandum Deum, et alte cordi ac memoriae imprimamus illud Societati Iesv proprium: *Ad maiorem Dei Gloriam* ...

COL. Quo petamus gratiam, ut per *obedientiae perfectae viam* fini nostrae creationis, et etiam vocationis nostrae, laudando Deum eiusque gloriam ubique manifestando satisfaciamus ...

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LIV.

***De fugatis e Templo negotiatoribus prima vice,* Ioan. 2.**

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 265.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo Christus eiecerit *de Templo vendentes illic et ementes, facto ex funiculis flagello.*

PRAEL. II. Formam Templi oculis obiicere...

PRAEL. III. Petere donum *fortitudinis* ad pugnandum zelose contra diabolum, qui nos *cupiditate rerum temporalium* tamquam laqueo vult subiugare.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur homines in Templo vendentes et ementes ... *INTEL.* E Templo oculos circumferamus per totum Orbem terrarum, inveniemus ubique vendentes et ementes: et hinc diaboli occasionem arripiunt, ut *homines primum trahant (quod fere contingit) ad cupiditatem divitiarum*, (Lib. Exerc. pag. 148.) ex qua oritur oblivio aeternorum, et aliae multae sequuntur tentationes... *REFL.* Cum cupiditas haec malitiam habeat non a re concupita, sed ab affectu quo concupiscitur; videamus an in nobis non sit talis cupiditas. ... *VOL.* Pudeat nos quod in religiosa vita affectus noster rebus

tam parvis adstrictus sit: repudiemus diaboli in hoc genere insidias, et Christi *paupertatem* amplectamur...

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum ad Patrem suum dicentem: *Dilexi decorem domus tuae*, Ps. 25. . . *INTEL.* Ratiocinemur per domum Dei intelligi tum Templa, tum domos in quibus sancte et religiose vivitur, atque adeo domos religiosas, de quibus merito dicitur illud Ps. 83.: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*... *REFL.* Hinc iterum discamus quam adversetur decori domus Dei, si in domo religiosa aliquis inveniatur constrictus a diabolo laqueis cupiditatis alicuius domicilii, cubiculi, supellectilis, etc. . . . *VOL.* Dirumpamus vincula illa et laqueos: diabolo vero opponamus regulam Summ. 25. quod *victus et supellex* debeat esse, *ut pauperibus accommodata*; et quod persuadere nobis debeamus, quod *vilissima* nobis tribuentur: his laqueis ruptis, poterimus Deo dicere: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, Ps. 115.

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus *cum fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de Templo*, Ioan. 2. . . *INTEL.* Dux impiorum per innumeros daemones etiam in domum Dei et religiosam irrumpit, ut mercatum et divitiarum cupiditatem introducat; Christus autem quasi pugnans armata et forti manu illos eiicit . . . *REFL.* Discamus quod nobis etiam erecto et forti animo opus sit, ut hostem illum debellemus . . . *VOL.* Excitemus animos nostros sub vexillo Christi militantes: petamus a Spiritu Sancto donum *fortitudinis*, de victoria non dubitemus freti auxilio Ducis nostri . . .

COL. De *duobus Vexillis* inhaerendo potissimum *spiritui paupertatis*. (Lib. Exerc. pag. 151.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LV.

De fugatis e Templo negotiatoribus prima vice. Ioan. 2.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 266.)

CONGR. Modo ordinario.

PRAEL. I. *Nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit;* Ioan. 2.

PRAEL. II. Aspicere mensas illas in Templo.

PRAEL. III. Petere gratiam *expugnandi animo forti cupiditatem pecuniarum et divitiarum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Circumspiciamus nummularios illos in Templo ad mensas sedentes . . . *INTEL.* Alii vendebant boves, et oves, et similia; sed nummularii vendebant pecunias cum usura, vel eas commutabant cum damno plurimorum, qui ad festum convenerant: et narrantur Sacerdotes in illo turpi lucro etiam partem habuisse . . . *REFL.* Hinc cognoscamus quod hoc genus cupiditatis, quod in tractatione pecuniarum consistit, foedius sit, et quod cupiditas illa sit arctior laqueus ac catena, quam quaevis alia; et quod diabolus etiam in familias religiosas huiusmodi cupiditatem conetur inducere, incitando personas Deo dicatas etiam Sacerdotes ad *peculia privata* etc. . . . *VOL.* Horrorem concipiamus ab illo vitio, quo *Religionum murus et vita communis* evertitur . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Christum nummularios illos non solum flagello, sed etiam verbis castigantem . . . *INTEL.* Potuit Christus illis obiicere illud Davidis Ps. 14., quod ille, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, habitaturus sit in tabernaculo sive in domo Dei; quodque adeo ipsi indigni sint qui consistant in Templo. Multo minus tales intrabunt in Templum coeleste; imo *facilius est camelum per foramen acus transire*, Marc. 10. . . . *REFL.* Hinc colligamus magnitudinem beneficii vocationis nostrae; si modo *paupertatem ut matrem* diligamus . . . *VOL.*

Gratias agamus ingentes Deo, qui ex tot millibus nos vocavit; et statuamus vivere digne vocatione nostra . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus non tantum illos eiecit, sed insuper *nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Notemus quo foedior fuit cupiditas, et quo laquei ac catenae quibus constricti tenebantur, erant fortiores, eo maiori vi opus fuisse . . . *REFL.* Discamus hinc quando diabolus correptis iniectisque laqueis conatur nos ad violandam *paupertatem* trahere; non languide, sed forti et erecto animo contra esse pugnandum: languidos enim et tepidos religiosos *parvo peculio* aeque constrictos tenebit, quam nummularios *magno* . . . *VOL.* Generoso et vigili animo contra insidias diaboli pugnemus; et laqueos omnes, quibus nos irretire conatur, excutiamus fortiter, ut fruamur plena libertate filiorum Dei . . .

COL. De *duobus Vexillis* maxime inhaerendo *spiritui paupertatis*. (Lib. Exerc. pag. 151.)

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LVI.

De fugatis e Templo negotiatoribus prima vice. Ioan. 2.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 266.)

CONGR. Desiderium cognoscendi incredibilem Christi in nos amorem, ut supra.

PRAEL. I. Vendentibus columbas mansuete inquit, *auferte ista hinc*, etc. Ioan. 2.

PRAEL. II. Inspicere in Templo officinas vendentium columbas.

PRAEL. III. Petere gratiam ad *zelum ferventem bene conciliandum cum mansuetudine.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Intueamur Christum apud vendentes columbas, temperato fervore

zeli, magis *mansuetum* . . . *INTEL.* Ex hoc exemplo discamus *zelum* nostrum esse dirigendum; aliquando quidem illi indulgendum, aliquando etiam temperandum, prout rerum et personarum conditio requirit . . . *REFL.* Examinemus an non sit in nobis interdum *zelus indiscretus*? . . . *VOL.* Diffidamus nobis et infirmitati nostrae in hoc vitio superando, nam saepe agimur mala passione, quando putamus nos agi zelo: sed fiduciam totam collocemus in gratia Dei, a quo solo oritur vera *discretio spirituum*. Deo possumus dicere illud Ps. 84. *Mitigasti omnem iram tuam* erga nos maximos peccatores; doce nos secundum voluntatem tuam etiam *mitigare zelum* nostrum . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM.* Christus *his, qui columbas vendebant, dixit: auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, Ioan. 2. . . . *INTEL.* Columba est signum mansuetudinis et simplicitatis; *Simplices sicut columbae*, Matth. 10. Quia vero Christus tantopere amat simplicitatem et benignitatem, ideo verbis mitioribus agit cum vendentibus columbas, eosque iubet sua auferre, monendo illos ne negotientur in Templo . . . *REFL.* Perpendamus quod nos quoque debeamus imitari *mansuetudinem* Christi, si velimus ut ipse quoque benignius nobiscum agat . . . *VOL.* Imploremus fructus Spiritus Sancti, inter quos est *bonitas, benignitas, mansuetudo;* itaque semper exerceamus zelum nostrum, ut semper memores simus verborum Christi: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, Matt. 11.

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Recordemur quod in hac prima eiectione negotiatorum e Templo, quae contigit sub initium praedicationis, mitius egerit et locutus sit cum vendentibus columbas: at vero in altera eiectione, quae circa finem praedicationis contigit, non diu ante mortem, durius egit etiam cum vendentibus columbas. Nam tunc *cathedras vendentium columbas evertit*, Matt. 21. . . . *INTEL.* Ratiocinemur causam huius diversi modi agendi esse diversam di-

spositionem personarum. In prima eiectione vendentes columbas minus resistebant voluntati Christi, quam nummularii: in secunda vero eiectione eum, neglecta Christi tam benigna ante facta monitione, etiamnum pergerent, eorum quoque cathedras evertit . . . *REFL.* Discamus hinc veritatem regulae 7. Hebd. 2. de *disc. spirit.* (Lib. Exerc. pag. 318.). Quare spiritus sive bonus, sive malus duriter soleat illabi in animos sibi contrarios? . . . *VOL.* Nos studeamus *veri . . . optimique Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari,* (Lib. Exerc. pag. 147.) nosque illi ita similes reddere, ut ipse in animam nostram, *tamquam in propriam et apertam domum* subeat *cum quiete* iuxta eandem regulam . . .

COL. De *duobus Vexillis.* (Ibid. pag. 151.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LVII.

De sermone Christi habito in monte. Matth. 5.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 266.)

CONGR. Desiderium cognoscendi magis Christi doctrinam.

PRAEL. I. Quomodo Christus docuerit octo Beatitudines.

PRAEL. II. Aspicere montem in quo Christus docebat.

PRAEL. III. Petere gratiam *intelligendi, et sequendi doctrinam Christi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Intueamur Christum qui *ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius,* Matth. 5. . . . *INTEL.* Consideremus Christum inter discipulos sedentem vel tamquam Regem inter subditos; vel tamquam Patrem inter filios; vel tamquam Dominum inter servos; vel tamquam Medicum inter aegros; vel tamquam lucem inter tenebras; vel tamquam Doctorem inter discipu-

los . . . *REFL.* Perpendamus an nos Christum tali modo soleamus considerare? . . . *VOL.* Excitemus erga Christum affectus subditi, filii, servi, aegri, ignorantis, et discipuli . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus octo Beatitudines proposuit dicens: *Beati pauperes spiritu;* tum sex alias virtutes interponens octavam sic posuit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,* etc. *beati estis cum maledixerint vobis,* etc. Matth. 5. . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod iuxta Meditationem *de duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 149.), Christus primum hortetur ad paupertatem; deinde ad maledictionis et opprobrii desiderium allicit; unde humilitatis virtus nascitur: atque hi *tres gradus virtutes omnes statim introducunt.* Nam pauperes spiritu appetentes cum Christo opprobria, et humiles statim erunt mites; lugebunt sua peccata; esurient iustitiam; erunt misericordes, mundo corde; et pacifici . . . *REFL.* Inspiciamus nos quam procul absimus ab illis tribus gradibus virtutum . . . *VOL.* Cum maiori fervore renovemus affectus conceptos in meditatione *de duobus Vexillis.*

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus *aperiens os suum docebat eos,* Matth. 5. . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo Christus *munus,* ad quod a Patre missus erat, impleverit praedicando, docendo, et omnium saluti vacando . . . *REFL.* Videndum quomodo nos impleamus regulam nostram, quae eiusmodi quoque *munus* nobis imponit . . . *VOL.* Doleamus de negligentia nostra, et dicamus Deo: *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur,* Ps. 50.; hoc autem assequemur, si doceamus verbo et exemplo *tres illos gradus virtutum.* . . .

COL. De *duobus Vexillis.* (Lib. Exerc. pag. 151.)
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LVIII.

De sermone Christi habito in monte. Matth. 5.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 267.)

CONGR. Sicut in praecedenti.

PRAEL. I. Quomodo Christus exhortatus sit discipulos, ut acceptis donis ac talentis recte utantur.

PRAEL. II. Aspicere montem, in quo Christus exhortabatur suos.

PRAEL. III. Petere gratiam *rectae intentionis erga Deum, et erga finem creationis ac vocationis nostrae.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Convertamus oculos ad discipulos audientes Christum docentem . . . *INTEL.* Notemus in eis modestiam, attentionem, aviditatem audiendi et intelligendi doctrinam Christi . . . *REFL.* Sic oportet nos quoque *avide* audire verbum Dei. *Accesserunt ad eum discipuli eius*, Matt. 5. Nos quoque accedamus: *accedite ad eum, et illuminamini*, Ps. 33. . . . *VOL.* Pudeat nos quod *avidius* saepe verba vana audiamus. Convertamus nos cum Petro ad Christum, et dicamus; *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes*, Ioan. 6. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Dixit Christus: *Vos estis lux mundi . . . Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut . . . glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est*, Matth. 5. . . . *INTEL.* Christus varia dona et talenta dederat discipulis, propter quae tamquam lux fulgebant in mundo. Igitur *eos exhortatur, ut acceptis donis et talentis utantur recte*, hoc est ut homines per ea moveantur ad finem creationis suae . . . *REFL.* Cogitemus hanc exhortationem praecipue in nos cadere, qui cum discipulis vocati sumus in Societatem IESV . . . *VOL.* Salutarem timorem concipiamus *divini iudicii*, in quo de *singulis talentis* accurata ratio reddenda erit: et deinceps iis ita statuamus uti, quemadmodum proximum convenit movere, *ut Do-*

minum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. (Lib. Exerc. pag. 71.)

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus dixit. *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum,* etc. Matth. 5.... *INTEL.* Non solum aliis *talentis* veluti docendi, praedicandi, etc. vult nos uti recte: sed diserte *opera* nostra vult esse talia, ut per ea homines *glorificent* Deum ea videntes... *REFL.* Examinemus *opera* nostra, an sint talia?... *VOL.* Agnoscamus coram Deo culpam nostram, quod saepe *opera* nostra proximo exhibuerimus potius ut nos ipsi *glorificemur.* Dicamus toto corde, *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam,* Ps. 113. *Ad maiorem Dei gloriam...*

COL. Quibus petatur gratia *rectae intentionis* iuxta reg. 17. Summ.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LIX.

De sermone Christi habito in monte. Matth. 5.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 267.)

CONGR. Idem desiderium cognoscendi clarius doctrinam Christi.

PRAEL. I. Quomodo Christus docuerit implenda praecepta, et diligendos inimicos.

PRAEL. II. Mente redire ad montem, in quo Christus docebat.

PRAEL. III. Petere gratiam *implendi praecepta, et diligendi proximos etiam inimicos.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspiciamus scholas et academias, quae tunc erant in Orbe, nominatim inter Gentiles Romae, in Graecia, et alibi: deinde oculos reflectamus ad montem, in quo Christus sedebat docens... *INTEL.* Comparemus scholas mundanas cum schola illa Christi. In schola Christi et Magister et discipuli contrarii erant mundi sapientibus:

nam Christus est ipsa Dei sapientia. *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret.* 1. Cor. 1. Tales erant in schola Christi discipuli, stulti apud mundum, infirmi, ignobiles, contemptibiles, ac si non essent . . . *REFL.* Nos cogitemus an schola Christi prae aliis eligenda non sit? . . . *VOL.* Coniungamus nos discipulis in schola Christi; simus cum illis et cum Christo stulti apud mundum et contemptibiles; et sequamur monitionem Apostoli 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus doctrinam Christi; ac primo quidem verba illa: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos,* Matth. 5. . . . *INTEL.* Hoc videlicet stultum apparebat sapientibus huius saeculi; sed latet summa Dei sapientia, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos,* ibid. . . . *REFL.* Si statuerimus iungere nos discipulis in schola Christi, sequamur hanc doctrinam necesse est. . . . *VOL.* Amplectamur toto animo hanc doctrinam, optemus occasiones benefaciendi eis qui oderunt nos: tunc cum fiducia dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Cogitemus quomodo Christus non tantum docuerit, sed opere etiam legem impleverit. *Non veni solvere legem, sed adimplere,* Matth. 5. . . . *INTEL.* Ratiocinemur id verum esse. Nam praeceptum legis *Non occides*, Exod. 20. extendit ad iram in fratres. *Non moechaberis*, ibid. ad concupiscentiam. *Non periurabis*, ibid. extendit ad alia iuramenta, et sic de aliis: semperque opere ipso doctrinam suam implevit . . . *REFL.* Cogitemus quod

facile nobis futurum sit Christum in his sequi si *tres illos virtutis gradus*, quos in meditatione de *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.) nos docuit, bene assecuti fuerimus . . . *VOL*. Renovemus affectus pridem conceptos erga *tres illos virtutis gradus*, atque ita extendamus nos ad *singula*, quae Christus in hoc sermone docuit adimplenda . . .

COL. De *duobus Vexillis*.
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LX.

De sedata maris tempestate. Matth. 8.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 267.)

CONGR. Ut solet.

PRAEL. I. Quomodo, dormiente Domino, coorta sit in mari vehemens tempestas.

PRAEL. II. Aspicere mare, et navim in eo fluitantem.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christo adhaerendi in adversis omnibus*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM*. Aspiciamus Christum cum discipulis in mari navigantem . . . *INTEL*. Perpendamus qualis fuerit vita Christi, praesertim postquam munus praedicandi inchoavit. Versabatur modo in *agris*; modo in *terra*; modo in *aqua* etc., prout Patris gloria, et animarum salus exigebat . . . *REFL*. Haec est regula Summ. 3. de *vitâ agenda in quavis mundi plaga* . . . *VOL*. Offeramus nos indifferentes ad *quamvis plagam* mundi, prout ad Dei gloriam et animarum salutem Deus per Superiores ordinabit . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Et, ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius*, Matth. 8.... *INTEL*. Sive Christus verbo diceret, *venite post me*, Matth. 4.; vel *sequere me*, Matth. 9.; sive *reipsa*, aut

nutu aliquo idem indicaret; *prompte* sequebantur discipuli eius . . . *REFL.* Videamus an nos iuxta regulas tam *prompte* obediamus, etiam *licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris sine ullo expresso praecepto videretur?* reg. Summ. 33. . . . *VOL.* Statuamus Christo per Superiorem etiam solo *nutu* nos vocanti obtemperare, eumque sequi; memores contemplationis *Regni Christi*, ubi petivimus gratiam *ne obsurdescamus, vocante nos Christo* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat*, Matt. 8. . . . *INTEL.* Hinc docemur eos, qui Christum sequuntur, agitandos adversis et tempestatibus, ut videantur interdum obrui, idque ipso praesente et quasi dormiente ac permittente . . . *REFL.* Hisce conforme est quod habetur reg. 7. Hebd. 1. *discer. spir.* quod in desolatione possimus insultibus inimici nostri obsistere; *id quod possumus haud dubie, assistente nobis iugiter praesidio divino*; *licet tunc nequaquam sentiatur* . . . *VOL.* Cum magna fiducia dicamus Christo: *En o Rex supreme, . . . meum est hoc certissimum decretum, ut quam possim proxime te sequar, et imiter in ferendis iniuriis, . . et adversis omnibus* (Lib. Exerc. pag. 117.), et tempestatibus . . .

COL. Conveniens contemplationi *Regni Christi* (ibid.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXI.

De sedata maris tempestate, Matt. 8.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 268.)

CONGR. Desiderium incredibilem Christi bonitatem in nos perspiciendi.

PRAEL. I. Quomodo discipuli excitaverint Christum, qui de fidei levitate eos arguit.

PRAEL. II. Intueri navim et locum, in quo Christus excitatur.

PRAEL. III. Petere gratiam *secundum Deum bene nos dirigendi in tempestatibus et adversis.* . .

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Intueamur discipulos in tempestate anxios, solicitos, timidos, inopes consilii, dormiente Christo . . . *INTEL.* Hic contigit id quod habetur Ps. 106. Nam Christus quamvis dormiret, *dixit, et stetit spiritus procellae, et exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt usque ad coelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* . . . *REFL.* Nos vero quando tales tempestates nobis obveniunt, sciamus illas, dicente et permittente Deo, nobis evenire. . . *VOL.* Dicamus in eiusmodi difficultatibus ad Deum id quod legitur 2. Paralip. 20.: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus discipulos ad Christum dicentes: *Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Iesus: quid timidi estis modicae fidei?* Matth. 8. . . . *INTEL.* Sic legitur in Psalmo supradicto: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur.* Sed Christus increpat modicam illorum fidem . . . *REFL.* Nobis quoque dici saepe potest: *Quid timidi estis modicae fidei?* . . . *VOL.* Nos vero cum magna fiducia dicamus: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*, Iob. 13. . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum*, Matth. 8. . . *INTEL.* Sic in periculis et tempestatibus Deum quasi dormientem, sed videntem et permittentem omnia, suscitare debemus . . . *REFL.* Recordemur quod reg. 6. Hebd. 1. *disc. spir.* docti simus modum suscitandi, qui est *insistere orationi cum discussione sui, ac poenitentiae aliquid assumere* . . . *VOL.* Deinceps in tempestatibus clamemus. *Exurge, quare obdormis, Domine? exurge et ne repellas in finem. Quare faciem tuam*

avertis, oblivisceris inopiae nostrae, et tribulationis nostrae etc., Ps. 43. . . .

COL. Quibus petatur gratia *fidei*, *spei*, et *fiduciae in Deum tempore tribulationis* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXII.

De sedata maris tempestate, Matth. 8.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 268.)

CONGR. Sicut in praecedenti dictum.

PRAEL. I. Quomodo Christus sedaverit tempestatem imperans vento et mari.

PRAEL. II. Videre mare concitatum, et mox pacatum.

PRAEL. III. Petere gratiam *magno animo sequendi Christum Regem omnipotentem*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Vidimus ante discipulos timidos et anxios, dormiente Christo; nunc videamus illos erecto animo, a somnis Christo suscitato . . . *INTEL.* Hinc concludamus quam *speciosum forma, et aspectu amabilem* necesse sit esse Christum Imperatorem et Regem nostrum, qui e somno excitatus uno quasi oculorum aspectu depellit omnes timores . . . *REFL.* Nos ipsos consulamus; inveniemus id nobis etiam interdum usuvenisse . . . *VOL.* In desolatione dicamus Christo. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus*, Ps. 29. *Ostende faciem tuam et salvi erimus*, Ps. 79. . . .

PVNCT. II. — Verba — *MEM. Homines mirati sunt dicentes; qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Matth. 8. . . . *INTEL.* Dicunt et interrogant homines; qualis est hic? David respondet, Ps. 46.: *Rex magnus super omnem terram* . . . *REFL.* Nos vero ad Christum conversi dicamus cum eodem Davide, Ps. 43.: *Tu es ipse Rex meus et Deus meus*, etc. Respondea-

mus quoque cum S. P. nostro (Lib. Exerc. pag. 117.), *Rex supréme ac Domine universorum*, etiam ventorum et maris . . . *VOL.* Excitemus affectus *reverentiae*, *laudis*, *et amoris* erga Regem tam amabilem et potentem . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Imperavit ventis et mari; et facta est tranquillitas magna*, Matth. 8. . . *INTEL.* Ex hoc opere manifesta fit omnipotentia Regis nostri; imperando facit tranquillitatem. *Quoniam ipse dixit et facta sunt*, Ps. 32. . . . *REFL.* Cogitemus quam *ignavi milites* futuri simus, si sub Regis tam amabilis et omnipotentis vexillo militantes timeamus! . . . *VOL.* Erigamus nos per *certam spem et fiduciam;* et erecto animo iuxta contemplationes *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 113.) et *de duobus Vexillis* (ibid. pag. 145.) statuamus *quam proxime* Christum sequi; nullas timentes tempestates, aut persecutiones sub omnipotente Capite . . .

COL. *De duobus Vexillis* (Ibid. pag. 151.).
RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXIII.

De ambulatione super aquas, Matth. 14.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 268.)

CONGR. Huic hebdomadae propria.

PRAEL. I. Quomodo Christus discipulis in naviculam abire iussis, dimissa turba, ascenderit in montem orare.

PRAEL. II. Aspicere montem mari vicinum.

PRAEL. III. Petere gratiam *orationis et coniunctionis cum Deo*.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Christum in monte solum orantem. *Ascendit in montem solus orare*, Matth. 14. . . *INTEL.* Ex hac *solitudine* discimus id quod dicitur, Matth. 6. *ora Patrem tuum in abscondito*; hoc est in secessione, sive separatione

a tumultu hominum et rerum saecularium: ex qua *solitudine* oriuntur fructus, quos S. P. noster describit Annot. 20. . . . *REFL.* Nos vero interdum laboramus morbo prorsus opposito et contrario spiritui *orationis*: hoc est morbo *effusionis ad exteriora*, de quo agitur Industr. Cap. 6. . . . *VOL.* Amemus ad *orandum* cum Christo *solitudinem*, et statuamus proxima occasione sedulo perlegere illud Cap. 6. Industr. de *effusione ad exteriora*, et remedia ibi proposita adhibere. . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audire nos imaginemur orationem, et colloquium Christi cum Patre... *INTEL.* Haud dubie dicebat saepe orans illud Ps. 39. *Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui* . . . *Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna.* Et vere hoc dicebat: nam eodem die iustitiam annuntiaverat ingenti hominum multitudini . . . *REFL.* Nos, qui sumus in Societate Iesu, debemus cum Deo etiam ita loqui. Nam nostrae quoque vocationis est annuntiare iustitiam Dei in ecclesia magna . . . *VOL.* Quando igitur colloquimur cum Deo, cum ingenti zelo dicamus, *docebo iniquos vias tuas*, Ps. 50.; et *os meum annuntiabit iustitiam tuam*, Ps. 70.: idque ita ut verbis facta respondeant . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, et praecedere eum trans fretum*, Matth. 14. . . . *INTEL.* Notemus vocem illam *compulit*; qua indicatur quod discipuli aegre a Christo discesserint . . . *REFL.* Sic nos decet *aegre* discedere a colloquio cum Christo in oratione, et non nisi compulsos per *obedientiam*; aut per opus aliquod verae *charitatis* . . . *VOL.* Conemur, quantum possumus, tollere obstacula, quae nos avertunt ab oratione et colloquio cum Deo. *Non impediaris orare semper*, Eccli. 18. Nam conversatio nostra in coelis, et cum Deo debet esse. Accusemus in hoc neglegentiam nostram . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.),

illud nominatim postulando ut liceat frui *conversatione cum Christo*, humili quidem loco degente et constituto, sed tam specioso et amabili, ut tormentum sit ab eo avelli . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXIV.

De ambulatione super aquas, Matth. 14.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 268.)

CONGR. Vt saepius dictum.

PRAEL. I. Quomodo, cum noctu navicula agitaretur fluctibus, venerit ambulans supra mare: perterritis discipulis putantibus phantasma esse.

PRAEL. II. Videre turbatum mare, super quo Christus ambulavit.

PRAEL. III. Petere *robur*, *et constantiam*, *et fiduciam in laboribus*, *et desolationibus*, *ac tribulationibus*.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM. Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus*, Matt. 14. . . . *INTEL.* Consideremus igitur personas discipulorum cum navicula iactatas in medio mari, lassatas laborando contra ventum contrarium. Sic Christus suos per adversa permittit tentari . . . *REFL.* Meminerimus quod in contemplatione *Regni Christi* vitam eiusmodi laboriosam edocti simus: *laboret mecum necesse est*, dicit ibi Christus . . . *VOL.* Dicamus cum Christo: *Pauper sum ego*, *et in laboribus a iuventute mea*, Ps. 87.: et paremus nos cum Apostolo 2. Tim. 3. ad *fidem*, *longanimitatem*, *dilectionem*, *patientiam*, *persecutiones*, *passiones* etc. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Discipuli *videntes eum super mare ambulantem*, *turbati sunt dicentes*: *quia phantasma est*. *Et prae timore clamaverunt* Matth. 14. . . . *INTEL.* Erant discipuli in tenebris, erat enim quarta vigilia noctis; ideo tam aliena a vero dicebant

et clamabant . . . *REFL.* Sic in tenebris desolationis caute debemus procedere, et facile erramus in discernendis spiritibus: ideoque (juxta reg. 4. Hebd. 1. *de discern. spirit.*) *tunc nihil deliberandum aut innovandum est* . . . *VOL.* Nos igitur clamemus in nocte tribulationum nostrarum, dicamusque: *Deus meus, illumina tenebras meas*, Ps. 17. . . .

PUNCT. III — OPERA. — *MEM.* Christus *venit ad eos ambulans super mare* Matth. 14. . . . *INTEL.* Vidimus illum imperantem *ventis et mari*; nunc videmus illum pedibus mare calcantem. Adeo verum est Regem nostrum esse Dominum universorum; quamquam hic etiam imperat tempestati, quae erat in animis discipulorum dicendo: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere*, Matth. 14. . . . *REFL.* Hinc discimus (sicut habetur reg. 2. Hebd. 2. de *discern. spir.*) quod *solius est Dei consolari animam, nulla praecedente consolationis causa*, sicut hic nulla praecedebat; sed Christus tamquam Dominus universorum sedat tempestates *interiores et exteriores* . . . *VOL.* In tribulationibus confugiamus ad Christum Dominum universorum, dicendo: *Eripe me de luto ut non infigar; libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquae* etc. Ps. 68. . . .

COL. *De duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.), petendo ut in *tenebris tribulationum possimus agnoscere et vitare fraudes mali spiritus* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXV.

De ambulatione super aquas, Matth. 14.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 268.)

CONGR. Delibare instantem meditationem more huius hebdomadae.

PRAEL. I. Quomodo Petrus ambulaverit super aquas, et quomodo ventus cessaverit.

PRAEL. II. Conspicari medium mare, ubi haec fie-

baut: nam *in medio mari iactabaur* navis, inquit Matthaeus.

PRAEL. III. Petere gratiam *verae fidei erga Christum.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Consideremus inter discipulos, qualis fuerit Petrus, viso et agnito Iesv ambulante super aquas ... *INTEL.* Mox apparebat et elucebat in eo *singularis* quaedam *fides et amor inflammatus* erga Christum, qui non ferebat moram, qua Christus veniret ad ipsum; sed instar ignis rapiebat se ad dispositam vicinam materiam ... *REFL.* Componamus *languidam* nostram *fidem et frigidum amorem* cum illo Petri ... *VOL.* Excitemus in nobis actum *fidei firmae, caecae, vivae, constantis, fortis, zelosae.* Actum item *amoris* erga Christum *ardentis, velocis, generosi, intrepidi, agentis,* et unicum Iesum *suspirantis. Fortis est, ut mors, dilectio,* Cant. 8. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus Petro ambulanti super aquas, et ob validum ventum timenti dixit: *Modicae fidei, quare dubitasti?* Matt. 14. . . . *INTEL.* Per ventum validum *intepuerat charitas* Petri, et amore languescente timuit; nam *perfecta charitas foras mittit timorem,* 1. Ioan. 4.; et hunc languorem ac timorem Christus per illa verba in Petro reprehendit . . . *REFL.* Respiciamus nos ipsos, et cogitemus quoties non ob ventum validum tribulationis, sed saepe ob levem, reprehensione illa nos dignos effecerimus; *modicae fidei, quare dubitasti?* . . . *VOL.* Cum Davide identidem dicamus: *Non timebo millia populi circumdantis me;* Ps. 3. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es;* Ps. 22. *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* Ps. 26. *Non timebo quid faciat mihi caro . . . In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.* Ps. 55. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Iesus et Petrus *cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes: vere Filius Dei es,* Matth. 14. . . . *INTEL.*

Non cessabat ventus, quamdiu erant in mari; sed mox cessavit, ut Christus fuit in navicula . . . *REFL.* Sic ventus *desolationis et tribulationis* non solet cessare, quamdiu ambulamus inter fluctus *rerum mundanarum:* at si cum Christo ascendamus naviculam vel verae eius *Ecclesiae*, vel *status religiosi*, vel *interioris cordis* nostri: tunc facile cessabit ventus, et agnoscemus ac adorabimus Filium Dei . . . *VOL.* Oremus humiliter, ut Christus ascendat in naviculam *cordis* nostri: tunc fiet quod scriptum est 2. Cor. 4. *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* Quem adoremus in charitate, gaudio, pace etc., cessantibus ventis . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.), orando nominatim, ut *habitet Christus in cordibus* nostris, et ut *superemus omnes ventos tribulationis*, quos foris suscitat dux impiorum . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXVI.

De missis ad praedicandum Apostolis, Matth. 10.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 269.)

CONGR. Desiderium cognoscendi clarius Christum, ut dictum est.

PRAEL. I. Quomodo discipulis data sit potestas eiiciendi daemones, et morbos sanandi.

PRAEL. II. Aspicere locum campestrem, in quo Christus cum discipulis convocatis agebat.

PRAEL. III. Petere gratiam *satisfaciendi Apostolicae vitae, ad quam vocati sumus.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspiciamus duodecim Apostolos electos a Christo, qui *descendens cum illis stetit in loco campestri*, Luc. 6. . . . *INTEL.* Consideremus Christum cum suis *in amoeno campo, humili*, plano, et campestri *constitutum loco,* quae om-

nia cordis latitudinem designant: cum Apostolis item pauperibus, rudibus, humilique natis loco; et his opponamus campum babylonicum Luciferi . . . *REFL.* *Eligendus* hic nobis est dux alteruter . . . *VOL.* Aversantes campum babylonicum, totos nos convertamus ad apertum et campestrem locum, ad *paupertatem et humilitatem* Christi et Apostolorum . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus verba Christi ad Apostolos: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici*, Luc. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite*, Matth. 10. . . . *INTEL.* Nullus unquam dux aut Rex dedit, aut dare potuit tantam potestatem suis militibus . . . *REFL.* Hinc discamus *quantis animis* contra daemones eiusque ministros pugnare debeamus . . . *VOL.* Iuxta reg. 12. Hebd. 1. de *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 311.) tamquam spirituales athletae omnibus adversis resistamus. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, Ps. 22. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Hos duodecim misit Iesus*, Matth. 10. . . . *INTEL.* Hoc est, quod habetur Rom. 10. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur*? Necessaria est *Missio* a Christo facta vel per se, vel per eos quos suo loco vult audiri, et quibus vult obediri . . . *REFL.* Applicemus hoc nobis, et Missionibus Societatis; sive hae ex voluntate Vicarii Christi, sive ex voluntate Superiorum fiant . . . *VOL.* Decernamus apud animum nostrum, dum occasio erit, legere pulcherrimas nostras Constitutiones Part. 7. Cap. 1. *De Missionibus summi Pontificis:* et Cap. 2. *De Missionibus Superioris Societatis:* et Cap. 3. *De libera ad hanc vel illam partem profectione;* et illarum *spiritum* in nobis excitemus . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXVII.

De missis ad praedicandum Apostolis. Matth. 10.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 269.)

CONGR. Ut supra.

PRAEL. I. Quas virtutes Christus voluerit inesse iis, quos mittebat.

PRAEL. II. Aspicere campum, in quo suos Christus instruebat.

PRAEL. III. Petere *gratiam et virtutes spiritus Apostolici.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Apostolos iam accinctos ad praedicandum per universum Orbem . . . *INTEL.* Sicut Christus *paupertatis spiritum* vult omnibus praedicari; sic Apostolos suos more et habitu *pauperum* voluit esse instructos, non possidentes *aurum*, *neque argentum, neque pecuniam in zonis . . . non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, Matt. 10. . . . *REFL.* Examinemus hic *spiritum paupertatis* nostrae iuxta Constitutiones nostras, quae volunt ut etiam sine *viatico*, et more *pauperum* ad Missiones eamus . . . *VOL.* Renovemus affectus erga primum virtutis gradum, qui est *paupertas*, elicitos in medit. *de duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.) . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Dixit Christus: *estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*, Matth. 10. . . . *INTEL. Prudentia* est, sicut loquitur Apostolus 1. Cor. 9 *Ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Inde prudentes virgines, Matth. 25. vocantur, quae caverunt ne lampades suae extinguerentur. *Simplicitas* oritur ex spiritu *paupertatis*: nam ex cupiditate oritur omnis duplicitas . . . *REFL.* Examinemus duas has virtutes in nobis . . . *VOL.* Convertamus nos ad Christum suspirando, anhelando, postulando ut nobis det gratiam

duarum harum *virtutum* viro Apostolico necessariarum . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Indagemus causas, cur praeter *simplicitatem* Christus *prudentiam* docuerit? . . . *INTEL.* Ratiocinemur paucos adeo Apostolos mitti ad innumeros lupos. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*, Matth. 10.: *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, Matth. 7. . . . *REFL.* Concludamus inter tot lupos, et quidem ovinis pellibus vestitos, opus esse tam Apostolis quam nobis *magna prudentia* . . . *VOL.* Diffidamus nobis inter tot pericula, et suppliciter petamus dona Spiritus Sancti, donum *sapientiae, intellectus, consilii* etc. . . .

COL. De *duobus Vexillis*, petendo nominatim *exploratas habere fraudes mali daemonis, et per gratiam evitare posse* (Lib. Exerc. pag. 147.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXVIII.

De missis ad praedicandum Apostolis. Matt. 10.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 270.)

CONGR. Ordinaria.

PRAEL. I. Quomodo Christus gratis voluerit Apostolos dare, et quae sit materia praedicationis.

PRAEL. II. Aspicere Orbem universum, tamquam theatrum praedicationis.

PRAEL. III. Petere gratiam, ut *sub vexillo Christi resistentes diaboli fraudibus doctrinam Christi ubique divulgemus.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus illinc in campo babylonico ducem impiorum: hinc in loco campestri Christum cum suis Apostolis . . . *INTEL.* Sub diaboli vexillo omnia sunt plena *perturbatione*, *fumo, igne, terrore* etc. Sub Christi vexillo omnia ple-

na charitate, concordia, pace etc. . . . *REFL.* *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 6. Nobis igitur alterutrum vexillum est *eligendum* . . . *VOL.* Detestemur vexillum diaboli, et audiamus et sequamur Christum dicentem: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve,* Matth. 11. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus utriusque ducis sermones sibi oppositos, et inter se contrarios . . . *INTEL.* Dux impiorum hortatur suos, ut *homines primum trahant (quod fere contingit) ad cupiditatem divitiarum* (Lib. Exerc. pag. 148.). Christus ex adverso dicit: *Gratis accepistis, gratis date,* Matth. 10. . . . *REFL.* Si elegerimus vexillum Christi, necesse est ipsius verba audire et sequi . . . *VOL.* O sanctam et vere Evangelicam regulam 27. Summarii! *Meminerint se gratis dare debere quae gratis acceperunt*, etc. Hanc regulam cordi infixam habeamus . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Aspiciamus quid ministri ducis impiorum, et quid contra hos Ministri Christi in mundo agant . . . *INTEL.* Ministri ducis impiorum ubique spargunt doctrinam *carnis, sensuum, amoris proprii et mundani* rebellioni conformem: Apostolici viri faciunt quod Christus eis mandavit, dicens: *Euntes autem praedicate dicentes: quia appropinquavit Regnum coelorum*, Matth. 10. . . . *REFL.* Oportet nos ad Societatem Iesu vocatos idem agere tum in privatis congressibus, tum in praedicationibus . . . *VOL.* Gratias Christo agamus pro beneficio *Vocationis;* et iuxta reg. 2. Summ. studeamus *impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere* evangelizando omnibus Regnum coelorum, Evangelium Regni, et doctrinam Regni ac Vexilli Christi . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXIX.

De conversione Magdalenae. Luc. 7.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 250.)

CONGR. Praegustare incredibilem Christi in nos amorem.

PRAEL. I. Quomodo mulier peccatrix, Christo accumbente mensae in domo Pharisaei, ingressa sit portans alabastrinum vas unguento plenum.

PRAEL. II. Intueri domum Pharisaei, cubiculum etc.

PRAEL. III. Petere gratiam ut *bene praeparati* accedamus ad Christum *orandi, et meditandi, et postulandi causa.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Christus *ingressus domum Pharisaei discubuit*, Luc. 7. . . *INTEL.* Contemplemur personam Christi mensae accumbentis, eius *modestiam, continentiam, temperantiam* etc. . . *REFL.* Comparemus cum hisce virtutibus nostram *propensionem*, et *effusionem* in cibum et potum . . *VOL.* Sicut Christus cibo et potu non est usus, nisi quatenus proderant ad finem, ob quem a Patre erat missus: sic nos, prout in *Fundamento* didicimus, solum finem creationis et vocationis nostrae in iis spectare decernamus. Doleamus quod ab illa *intentione finis* deviaverimus, et statuamus bene intelligere, et servare regulas *de victu temperando* (Lib. Exerc. pag. 204.) . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus colloquia, et sermones Christi discumbentis . . . *INTEL.* Haud dubie *loquebatur illis de Regno Dei*, Luc. 9. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, Matth. 12. . . *REFL.* Exploremus quid abundet in corde nostro. Si enim abundet rebellio *carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani*, exprobrabitur nobis illud Matth. 12. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali?* . . . *VOL.* Accusemus coram Deo cor nostrum, quod a-

bundat tot vanis et saecularibus cogitationibus: inde verba otiosa et saecularia. Agamus ut fiat in nobis, quod Apostolus monet Ephes. 5.: *Implemini Spiritu Sancto*: tunc dicere poterimus: *Eructavit cor meum verbum bonum*, Ps. 44. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix . . . attulit alabastrum unguenti*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Peccatrix illa volebat postulare et impetrare remissionem peccatorum; sed antequam accedat ad orandum et postulandum, praeparat alabastrum unguenti . . . *REFL.* Nos hinc discamus antequam ad orandum accedamus, parare unguenta bonorum desideriorum iuxta illud Eccl. 18. *Ante orationem praepara animam tuam* . . . *VOL.* Diligenter deinceps exequamur omnia, quae S. P. noster in libro Exercitiorum praescribit tum *pridie* (Lib. Exerc. pag. 103.), tum *ipso die mane* ante orationem (Ibid. pag. 105.), necnon in ipsa *meditatione*, et *post eam* (Ibid. pag. 106.); sic enim optima erit praeparatio, et prosecutio orationis. . . .

COL. Quibus petamus gratiam *bene loquendi cum Deo, et de Deo* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXX.

De conversione Magdalenae. Luc. 7.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 281.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo mulier illa rigaverit lacrymis, et unxerit pedes Iesu.

PRAEL. II. Intueri locum in quo Christus discumbebat.

PRAEL. III. Petere gratiam *humilis et verae poenitentiae, eamque prompte exequendi*. . . .

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Erat mulier illa

stans retro secus pedes eius, Luc. 7. . . . *INTEL.* Mulier illa erat retro stans, reputans se indignam quae faciem Christi aspiceret: perinde sicut publicanus *nolebat nec oculos ad coelum levare.* Luc. 18. . . . *REFL.* Haec sunt signa verae poenitentis, ad quae *poenitentiam* et *compunctionem* cordis nostri explorare possimus . . . . *VOL.* Dicamus cum poenitente Davide Ps. 68.: *Operuit confusio faciem meam:* et indignos nos agnoscamus, qui post peccata nostra faciem Dei aspiciamus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Recordemur nulla verba poenitentis illius mulieris referri ab Evangelista... *INTEL.* Ratiocinemur quod *lacrymae pondera vocis habent*, et loquebatur cogitationibus suis, quas Christus intelligebat: et haud dubie haec vel similia tacite Christo dicebat, *cor contritum et humiliatum, Deus non despicies*, Ps. 50. . . . *REFL.* Tales voces interiores deberent cordibus nostris insculptae esse . . . *VOL.* Punctum hoc invitat nos ad poenitentiam: dicamus itaque Psalmum 50. *Miserere mei Deus*, etc. coniungentes poenitentiam nostram cum poenitentia illius mulieris . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Mulier illa *lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat; et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Omnia haec demonstrant perfectam *contritionem* ortam ex *charitate* erga Christum . . . *REFL.* Nos singula illa amoris opera nobis applicemus. . . *VOL.* Effundamus nos totos in *contritionem*, et in *amorem* erga Christum: *Vt ipsi serviam*, inquit S. P. noster, *et adhaerescam tanto propensius; quanto incredibiliorem erga me bonitatem eius perspexero* (Lib. Exerc. pag. 139.). Talia in matutina congrua cogitatione saepe revolvamus, et exemplo huius mulieris etiam opere ipso demonstremus...

COL. Conformia *primae Hebdomadae.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXI.

De conversione Magdalenae, Luc. 7.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 271.)

CONGR. Desiderium cognoscendi incredibilem Christi erga nos bonitatem.

PRAEL. I. Quomodo Christus remiserit mulieri peccata, et quomodo illam defenderit contra Pharisaeum.

PRAEL. II. Mente consistere in loco convivii.

PRAEL. III. Petere gratiam *verae contritionis*, et *contemnendi iudicia hominum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Videns autem Pharisaeus qui vocaverat eum, ait intra se dicens: hic si esset Propheta sciret utique, quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Consideremus in Pharisaeo illo *superbiam*, a qua in alia vitiorum genera praeceps fit decursus; veluti in despectum aliorum, et iudicia temeraria. Erat ex illo genere hominum, qui dicunt: *Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es*, Isa. 65. . . . *REFL.* Ex eodem *superbiae* fonte oriuntur nostra iudicia temeraria, et despectio aliorum contra id quod Christus dixit: *Nolite iudicare, ut non iudicemini*, Matth. 7. . . . *VOL.* Amplectamur *spiritum humilitatis*, et oremus Deum: *Extollentiam oculorum ne dederis mihi*, Eccl. 23 . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7. . . . *INTEL.* Hinc discamus *praestantiam* charitatis, et contritionis perfectae. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. . . . *REFL.* Examinemus charitatem, et contritionem nostram . . . *VOL. Non diligamus verbo, neque lingua*; *sed opere et veritate*, 1. Ioan. 3.: lacrimis scilicet, osculando, ungendo pedes Iesu; hoc est membra eius, quae sunt proximi et fratres eius . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus agit patronum mulieris contra Pharisaeum, adducendo parabolam duorum debitorum . . , *INTEL. Vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrymas innocentium, et neminem consolatorem*, Eccl. 4. Haec videlicet est pravitas hominum, a quibus miseri raro accipiunt consolationem: at vero *Deus consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 1. . . *REFL.* Discamus hinc primum a Deo sperare certam consolationem, non ab hominibus: deinde quod non debeamus sequi pravitatem plerorumque hominum; nam Deus consolatur nos, *ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt*, 2. Cor. 1. . . *VOL.* Renovemus affectus erga tres illos virtutum gradus, desiderium scilicet *paupertatis*, *contemptus*, *et humilitatis*; et statim aderit non tantum *consolatio* a Deo, sed *charitas* quoque consolandi proximos . . .

COL. De *duobus Vexillis*, (Lib. Exerc. pag. 151.) petendo ut per *tres illos perfectionis gradus* ascendere possimus ad *charitatem iuvandi, et consolandi afflictos* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXII.

De quinque millium hominum refectione. Matth. 14.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 271.)

CONGR. Desiderium cognoscendi magis bonitatem Christi in nos.

PRAEL. I. Quomodo discipuli videntes tantam hominum multitudinem sine annona, rogaverint Christum ut turbas dimitteret.

PRAEL. II. Videre locum et campos, ubi cum Christo erat illa multitudo.

PRAEL. III. Petere gratiam *proxime Christo adhaerendi, eumque sequendi cum ingenti fiducia* . . .

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Turbae secutae sunt eum pedestres de civitatibus*, Matth. 14. . . . *INTEL.* Contemplemur hic pulcherrimam speciem *paupertatis*. Turbae erant *pedestres*; non erant *soliciti* . . . *dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Matth. 6. Unum Christum quaerebant. Inter has turbas intueamur Christum, et ipsum *pedestrem* ac *pauperem*, *humili quidem constitutum loco*; *sed valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem*, (Lib. Exerc. pag. 149.) qui omnes ad se alliceret . . . *REFL.* Concludamus nos non fore *sanae mentis*, si cum turbis illis tam amabilem Ducem *non sequamur* ... *VOL.* Excitemus amoris affectum, et voluntatem sequendi Christum per *tertium modum humilitatis*, (Lib. Exerc. pag. 165.). Caetera omnia, quae ad corpus spectant, permittendo ipsius curae iuxta Evangelium . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Discipuli Christo dixerunt: *Dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas*, Matth. 14. . . . *INTEL.* Ex his discimus quod non tantum turbae, sed etiam discipuli optime servarint doctrinam Christi: *Nolite ergo soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* Nam discipuli pro se nihil soliciti, pro solis turbis rogant... *REFL.* Componamus immodicam nostram *solicitudinem* cum hoc exemplo . . . *VOL.* Magna cum *fiducia* offeramus nos ad sequendum Christum, memores promissionis nobis factae, Matth. 6. *Quaerite ergo primum regnum Dei . . . et haec omnia adiicientur vobis* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus *exiens vidit turbam magnam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli*, etc. Matth. 14. . . . *INTEL.* Consideremus hic labores Christi mixtos charitate et misericordia, toto die usque ad vesperam productos . . . *REFL.* Meminerimus nobis dictum: *Quisquis eo* (hoc est in Patris gloriam) *mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (Lib. Exerc. pag. 116.) . . . *VOL.* Generoso animo

paremus nos ad *laborandum* cum Christo, et renovemus affectus contemplationis *Regni Christi* (ibid. pag. 115.).

COL. Conformia eidem contemplationi (ibid.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXIII.

De quinque millium hominum refectione, Matth. 14.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 272.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Quomodo Christus panes benedictos turbis discipulos iusserit apponi.

PRAEL. II. Videre locum desertum, in quo haec fiebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christo vocanti caece obediendi*, *et ipsum sequendi etiam per ardua.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Christus iussit *turbam discumbere super foenum*, Matth. 14. . . . *INTEL.* Circumspiciamus hunc exercitum sub Vexillo Christi. Nam *fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis*, Matth. 14. Discumbebant omnes *tamquam castrorum acies ordinata*, Cant. 6. Nam *discubuerunt in partes, per centenos, et quinquagenos*, Marc. 6., idque *humili loco*, imo humi super foenum. Inde convertamus oculos ad campum babylonicum, ubi dux impiorum sedet in *cathedra ignea et fumosa* (Lib. Exerc. pag. 147.); et ubi omnia perturbatione, et horrore sub eius vexillo sunt plena . . . *REFL.* Eligendum alterutrum vexillum, nam *nemo potest duobus dominis servire*, Matth. 6. . . . *VOL.* Curramus ad *Vexillum Christi*, et renovemus ante conceptos affectus . . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus dixit discipulis: *date illis vos manducare*, Matt. 14. talia autem nominatim dicebat Philippo *tentans eum*: *ipse enim sciebat quid esset facturus*, Ioan. 6. . . . *INTEL.* Sic

tentavit Deus Abraham Gen. 22. Sed eiusmodi tentatio sive probatio iuxta reg. 5. Hebd. 2. *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 316.) semper tendit ad bonum *circa principium, medium, et finem*. Dum vero diabolus tentat, semper *per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit;* et hoc modo Deus *neminem tentat*, Iac. 1. . . . *REFL.* Concludamus aequum et necessarium esse, ut *vigilemus* ne per diaboli tentationes decipiamur. . . *VOL.* Oremus ut exploratas habere possimus fraudes mali daemonis, et iuxta regulas *de disc. spir.* discernere Dei *tentationem et probationem* a diaboli *insidiis. Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos, et cor meum*, Ps. 25. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus *dedit discipulis panes, discipuli autem turbis*, Matth. 4. . . . *INTEL.* Sic Deus vult nos per manus Ministrorum suorum, et Superiorum nostrorum accipere sua beneficia; ut sic *humilem obedientiam* exerceamus . . . *REFL.* Examinemus obedientiam nostram iuxta regulas; et an Superiores *Christi loco* habeamus? . . . *VOL.* Exerceamus nos in *tertio gradu humilitatis*, eiusque affectus identidem excitemus; sic sponte sua succedet *perfecta obedientia*. Nam *nihil arduum est humilibus, et nihil asperum mitibus*, S. Leo in Epist. S. P. nostri de *Obed.*

COL. Vt ad *tres modos humilitatis*: (Lib. Exerc. pag. 169.)

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXIV.

De quinque millium hominum refectione. Matth. 14.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 272.)

CONGR. More solito.

PRAEL. I. Quomodo comederint, et saturati fuerint, et superaverint cophini duodecim.

PRAEL. II. Intueri locum, in quo turbae ordinate discumbebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum cum magna spe, et fiducia sequendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Speculemur convivium illud, in quo turbae sedebant secundum contubernia, *super viride faenum*; Marc. 6. et Iesus cum suis discipulis ministrabat . . . *INTEL.* Fuit illud quasi figura coelestis illius convivii, in quo qui Christum fuerint in mortali et brevi vita bene secuti, *faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis*, Luc. 12. . . . *REFL.* Hoc nobis erit praemium *pauperis ac humilis* modi vivendi in cibo, et potu . . . *VOL.* Iuxta ea quae in contempl. *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 114.) meditati sumus statuamus non alio uti *victu*, quam quo Christum Regem nostrum utentem conspexerimus . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Circumeamus et audiamus turbas illas loquentes . . . *INTEL.* Audiamus aliquos dicentes, quod de manna dixerant filii Israel, *Manhu? quod significat, quid est hoc?* Exod. 16. Item illud ibidem: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Alii dicere poterant: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi*, Ps. 111. . . . *REFL.* Cogitemus quod nobis, qui vovimus *paupertatem*, Christus quoque per discipulos, hoc est Superiores, *victum distribuat*, et similiter ipsum laudare debeamus per benedictionem et gratiarum actionem . . . *VOL.* Deinceps cum *singulari affectu laudis et gratiarum actionis*, ante et post refectionem recitemus *ordinarias preces*, et interdum *mente* inter vescendum . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* *Manducaverunt omnes et saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos*, Matth. 14. . . . *INTEL.* Perpendamus abundantiam suavitatis, et saturitatis, ac liberalitatis, qua Christus illos pascit, qui

omnibus relictis ipsum toto corde sequuntur . . . *REFL.* Concludamus quod tanto maior quoque abundantia liberalitatis sit futura erga nos; quanto melius servavimus *obedientiam et paupertatem* in cibo et potu . . . *VOL.* Abhorreamus ab omni cibo et potu, qui per *manus obedientiae* non datur: sane illi illam saturitatem non sentient. Sed semper meminerimus, quod *edent pauperes et saturabuntur*, Ps. 21.

COL. Conformia meditationi *Regni Christi*, (Lib. Exerc. pag. 117), *et de duobus Vexillis* (ibid. pag. 151.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXV.

De transfiguratione Christi, Matth. 17.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 272.)

CONGR. Desiderium magis, et magis cognoscendi Verbum incarnatum.

PRAEL. I. Quomodo coram tribus discipulis transfiguratus fuerit Christus.

PRAEL. II. Repraesentare sibi montem, in quo transfiguratio est facta.

PRAEL. III. Petere gratiam, *sic laborandi cum Christo, ut promissi praemii participes fiamus.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Christus *ducit illos in montem excelsum seorsum*, Matt. 17.; hoc est Petrum, Iacobum, et Ioannem . . . *INTEL.* In Petro considerare possumus *fervorem fidei et fiduciae:* in Iacobo *desiderium paupertatis et contemptus usque ad mortem;* nam usque ad mortem primus illa passus est: in Ioanne *charitatem castam* . . . *REFL.* Si velimus a Christo duci in montem excelsum, *has virtutes* in nobis elucere oportet . . . *VOL.* Eliciamus cum Petro vivos actus *fidei* et *spei*: cum Iacobo autem constituamus nos in *tertio humilitatis gradu;* idque non more hominum *primae* et *secundae* classis, sed

tertiae classis, ut *reipsa*, sicut Iacobus, et *cito omnia illa* cum Christo *patiamur*: ex hoc gradu humilitatis iuxta *tertiam hominum classem* sponte sua profluet *castissimus amor* erga Deum: et diligemur a Deo, sicut *discipulus, quem diligebat Iesus*, Ioan. 13. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Paucis diebus ante transfigurationem Christus dixerat: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo*, Matth. 16. *Et post dies sex assumpsit Iesus*, etc. Matth. 17. . . . *INTEL.* Hisce verbis lenire voluit Christus sensum, quem discipuli habebant ex iis, quae praedixerat de sua passione . . . *REFL.* Sic in contemplatione *Regni Christi* ea, quae dicuntur de *laboribus* pro Christo et cum Christo subeundis, leniuntur hisce verbis: *Particeps fiet victoriae et felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socius exstiterit* (Lib. Exerc. pag. 115.). Item illis, *laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (ibid. pag. 116.) . . . *VOL.* Offeramus nos ad illos *labores* et *molestias*, *expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi*, Tit. 2. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus *transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies eius sicut sol; vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*, Matth. 17. . . . *INTEL.* Per splendorem illuminabuntur tenebrae nostrae, et detersis peccatorum sordibus, succedet candor niveus. Sed haec gloria tribus tantummodo ostensa est. . . *REFL.* Sicut alii discipuli ex testimonio horum trium conceperunt maiorem *fidem* et *spem*, sic nos quoque *spem* et *fidem* nostram ex hoc Mysterio magis augere debemus . . . *VOL.* Cum magna *fide* et *spe* dicamus, *Deus meus illumina tenebras meas*, Ps. 17. *Scio quod Redemptor meus vivit*, etc. Iob. 19. Tunc *in lumine tuo videbimus lumen*, Ps. 35.; tunc *lavabis me, et super nivem dealbabor*, Ps. 50. . . .

COL. De duobus *Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.) cum advertentia ad contemplationem *Regni Christi*,

(Lib. Exerc. pag. 118.) et ad *praemium* laboribus promissum . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXVI.

De transfiguratione Christi, Matth. 17.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 272.)

CONGR. Desiderium cognoscendi Verbi incarnati.

PRAEL. I. Quomodo in transfiguratione Christus locutus sit cum Moyse, et Elia.

PRAEL. II. Imaginari sibi montem illum excelsum.

PRAEL. III. Petere gratiam *fortiter, et constanter Christum Regem sequendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias*, (Matth. 17.) . . . *INTEL.* In Moyse contemplemur *mansuetudinem, erat enim Moyses vir mitissimus*, Num. 12. In Elia vero *zelum: Elias dum zelat zelum legis*, 1. Machab. 2. . . . *REFL.* Discamus hinc quod duo illa debeant coniungi, et temperari . . . *VOL.* Aspiremus ad Spiritum Sanctum, et petamus donum *fortitudinis*, quod spectat ad *zelum*; et donum *pietatis*, quod spectat ad *mansuetudinem* . . .

PVNCT. II. — Verba — *MEM.* Moyses et Elias erant *cum eo loquentes*, Matth. 17.: *Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*, Luc. 9. . . . *INTEL.* Loquebantur in illa gloria de futura Christi passione . . . *REFL.* Hoc est quod docemur reg. 10., Hebd. 1. *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 310.), *quod fruenti homini consolatione prospiciendum est, quo se pacto gerere poterit, desolatione deinceps occurrente* . . . *VOL.* Cum tribus illis Apostolis roboremur in consolatione animos nostros in futuram passionem, et desolationem; spem excitemus futuri auxilii, etc.

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Indagemus cau-

sam, cur Moyses et Elias Iesum cinxerint, et stipaverint . . . *INTEL.* Ratiocinemur sic Christum ostendisse se esse Dominum vitae et necis, vivorum et mortuorum. Nam Moyses mortuus est *in terra Moab.* Deut. 34. Sed *ascendit Elias per turbinem in coelum* 4. Reg. 2. . . . *REFL.* Hoc deberet nobis animos dare, ut ne *vel extremo vitae discrimine obiecto*, iuxta *primum humilitatis modum*, peccemus *mortaliter* (Lib. Exerc. pag. 163.): et iuxta *secundum*, ut ad *brevitatem vitae, ac longitudinem aeque sim propensus; ubi aequalis est Divinae laudis, et salutis meae occasio* (ibid. pag. 164.), et ne *venialiter* quidem ob timorem mortis peccemus . . . *VOL.* Imo ascendamus ad *tertium humilitatis gradum*, ejusque affectus renovemus; ita ut nec spes vitae, nec timor mortis nos ab eo deiiciat: *Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus,* Rom. 14. . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXVII.

De transfiguratione Christi, Matt. 17.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 272.)

CONGR. Perpendere incredibilem Christi amorem erga nos.

PRAEL. I. Quomodo Petrus voluerit ibi facere tria tabernacula, et quomodo vox de coelo venerit, et Christus consternatos discipulos erexerit.

PRAEL. II. Intueri montem illum, in quo haec fiebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *proxime et constanter sequendi Christum Regem nostrum.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Convertamus oculos mentis ad tres Apostolos . . . *INTEL.* Perpen-

damus illos primum ita absorptos, et quasi ebrios illo glorioso genere consolationis, ut Petrus omnium rerum humanarum oblitus vellet ibi perpetuo manere, et mox *discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde*, Matth. 17. . . . *REFL.* Hinc discimus non nimis fidendum esse consolationibus, quas Deus solet temperare: et ideo reg. 11. Hebd. 1. *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 310.) monemur, *ut ille idem, affluente consolatione, seipsum deprimat ac vilifaciat, quantum potest.* . . . *VOL.* Hanc monitionem S. P. nostri sedulo observemus: nam tuta est *consolatio* quae iuncta est *humilitati. Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: haec me consolata est in humilitate mea*, Ps. 118. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*, Matth. 17. . . . *INTEL.* Haec vox pluribus explicatur 2. Pet. 1.; qui testis est vocis sibi aliisque dictae . . . *REFL.* Habemus ergo Regem divinitus electum, Filium Dei, cui Principes et populi omnes obedire debeant; et mandatum habemus; *ipsum audite* . . . *VOL.* Igitur *ne obsurdescamus vocante nos Christo*; sed renovemus desideria concepta in contempl. *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 113.): dicamus illi, *et ego non sum turbatus te pastorem sequens*, Ierem. 17. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Ad consternatos Apostolos *accessit Iesus, et tetigit eos, dixitque eis: surgite, et nolite timere* . . . Et . . . *praecepit eis Iesus dicens: nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat*, Matth. 17. . . . *INTEL.* Nec ipsi Apostoli poterant se ab illo timore liberare, nec aliud aderat per quod liberarentur, nisi accessisset Iesus; qui cum tanta ostendisset et fecisset, noluit ante resurrectionem haec aliis narrari . . . *REFL.* Ex his intelligimus, *quod solius est Dei consolari animam, nulla praecedente consolationis causa*; prout pluribus explicatur regul. 2. Hebd. 2. *disc. spir.* (Lib. Exerc.

pag. 313.). Discimus quoque *fugiendos plausus* humanos in hac vita . . . *VOL.* Nos potius *opprobria* et *contemptum* cum Christo desideremus, sicut saepius meditati sumus . . .

COL. De *tribus modis humilitatis.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXVIII.

De Lazari suscitatione. Ioan. 11.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 273.)

CONGR. Vt ante.

PRAEL. I. Quomodo Christus, audita Lazari infirmitate, biduo substiterit.

PRAEL. II. Imaginari locum, ubi Iesus substitit.

PRAEL. III. Postulare gratiam *adhaerendi Christo inter quaecumque adversa.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Convertamus oculos ad domum Mariae et Marthae in Bethania, ubi Lazarus infirmus erat . . . *INTEL.* Domus erat plena luctu ob infirmum, ac deinde mortuum Lazarum: et tamen *diligebat autem Iesus Martham, et sororem eius Mariam, et Lazarum,* Ioan. 11. . . . *REFL.* Sic Deus personis et familiis, quas diligit, permittit adversa . . . *VOL.* Dicamus cum Iob Cap. 6.: *Et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat: nec contradicam sermonibus Sancti:* et Deo dicamus: *Amorem tui tantum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis; nec aliud ultra posco* (Lib. Exerc. pag. 221.) . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Cum discipuli dissuaderent Christo ne iret in Iudaeam ad Lazarum, quia Iudaei quaerebant eum lapidare; dixit Thomas: *Eamus et nos, ut moriamur cum eo,* Ioan. 11 . . . *INTEL.* Illa verba spirant non modo *secundum humilitatis gradum: ut fixo animo ad . . . brevitatem vitae ac aegritudinem aeque sim propensus* etc. (Lib. Exerc.

pag. 164.); sed etiam *tertium* ut quamvis aequalis esset divinae laudis occasio, Christo tamen potius in *morte* optem *assimilari* . . . *REFL.* Examinemus nos circa hos gradus . . . *VOL.* Dicamus nos quoque pleni fide, spe, et charitate: *Eamus et nos*, et egeamus effectus *paupertatis; ludibria, opprobria, crucem* patiamur cum Christo . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus de Lazaro *ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus*, Ioan. 11. . . . *INTEL.* Etiam cum dixisset *eis manifeste, Lazarus mortuus est*, Ioan. 11.; erat etiam tunc in eodem loco . . . *REFL.* Sic Deus solet differre beneficia quae petimus propter maiorem suam gloriam, et maiorem nostram utilitatem: hoc indicant illa Christi verba, *infirmitas haec . . . est . . . pro gloria Dei* etc.; et haec, *Lazarus mortuus est: et gaudeo propter vos, ut credatis* etc. Ioan. 11. . . . *VOL.* Expetamus a Spiritu Sancto fructum *patientiae, et longanimitatis*: et memores simus verborum Isa. 49. *Haec dicit Dominus: in tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui* . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.):

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXIX.

De Lazari suscitatione. Ioan. 11.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 273.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo ante suscitationem Christus fidem utriusque sororis exploraverit.

PRAEL. II. Mente adire domum istarum sororum in Bethania.

PRAEL. III. Petere gratiam *verae fidei.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Iesum

in Bethania, et Martham ei occurrentem, ac deinde Mariam . . . *INTEL. Multi autem ex Iudaeis venerunt ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo:* hos omnes deserebant Martha et Maria, ut Christi colloquio et consolatione fruerentur . . . *REFL.* Nos quoque derelicto humano solatio, ad pedes Christi cum Maria procidamus, *cecidit ad pedes eius;* Ioan. 11.: *Quia vana salus hominis,* Ps. 59. . . . *VOL.* Prostrati ad pedes Iesu dicamus, *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra,* 2. Cor. 1. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Marthae dixit Iesus: *Ego sum resurrectio, et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum,* Ioan. 11. . . . *INTEL:* Christus est resurrectio et vita, quia est ipsius causa meritoria, efficiens, exemplaris, et finalis. Qui credit, etsi anima mortua fuerit per peccatum, *vivet;* et corpus postea ratione animae viventis in gratia *resurget,* et vivet in aeternum. . . . *REFL.* Quis *sanae mentis* non cupidissime talem Ducem et Regem *sequetur?* . . . *VOL.* Pleni *fide* dicamus: *En ò Rex supreme* etc. ut in contempl. *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 117.). . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* De verbis priori puncto prolatis Christus interrogavit Martham: *credis hoc?* Ioan. 11. . . . *INTEL.* Noluit Christus patrare miraculum, nisi ante *perfecta fide* instruxisset Martham . . . *REFL.* Sic Deus nobiscum agit: exigit *plenam fidem* antequam sua beneficia conferat, ut dici possit, *fides tua te salvam fecit,* Matth. 9. . . . *VOL.* Respondeamus cum Martha: *Vtique, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti,* Ioan. 11. . . .

COL. *De duobus Vexillis,* (Lib. Exerc. pag. 151.) petendo ut *viva cum fide Christo militare* possimus. . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXX.

De Lazari suscitatione, Ioan. 11.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 274.)

CONGR. Desiderium magis, et magis cognoscendi omnipotentiam Christi.

PRAEL. I. Quomodo Christus suscitaverit Lazarum.

PRAEL. II. Intueri locum monumenti, in quo Lazarus erat sepultus.

PRAEL. III. Petere gratiam *magnae fiduciae in omnipotentia Christi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Iesum, qui ut vidit Mariam *plorantem*, *et Iudaeos qui venerant cum ea plorantes*, *infremuit spiritu*, *et turbavit seipsum* . . . *et lacrymatus est Iesus*, Ioan. 11. . . *INTEL.* Christus perfectissimum dominium habebat in omnes illas motiones animi; sed voluit se accommodare aliis, ut doceret nos *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, Rom. 12. . . . *REFL.* Videamus an hactenus *intentione charitatis* erga Deum, et proximum secuti fuerimus hoc exemplum Christi? . . . *VOL.* Ita deinceps nos geramus, ut dicere possimus cum Apostolo, 1. Cor. 9. *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Quidam autem ex ipsis dixerunt: non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* Ioan. 11. . . . *INTEL.* Poterant reprehendi illi, qui sic loquebantur, illisque responderi: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei: aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Sap. 9. . . . *REFL.* Nos quoque tot mirabiles eventus videmus in Ecclesia Dei, et in multis hominibus tales vicissitudines, ut fortassis nos quoque dicamus: *non poterat etc.*? et cum Ieremia, cap. 12. *quare via impiorum prosperatur?* . . . *VOL.* Nos vero exclamemus

cum Apostolo, Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius!* Et etiam cum Davide, postquam Ps. 72. multis ostenderat de impiis, quod *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum;* dicamus: *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me: donec intrem in Sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum . . .*

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus voce magna clamavit: *Lazare, veni foras, et statim prodiit qui erat mortuus,* Ioan. 11. . . . *INTEL.* Rex noster imperat vitae, et morti. Sic Luc. 4. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus . . . et stans super illam imperavit febri, et dimisit illam . . . REFL.* Sane est vel sine *vera fide,* vel sine *sana mente,* qui sub Rege tali omnipotente militans superari se sinit a *timore. . . VOL.* Memores semper simus illorum verborum ab illo Rege nostro nobis dictorum, Matth. 10. *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Quapropter totos nos ipsi committamus. *En o Rex supreme ac Domine universorum,* etiam vitae et mortis, *me tibi penitus offero, meaque omnia tuae subiicio voluntati,* etc. (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

COL. De *tribus hominum classibus* (Ibid. pag. 155.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXI.

De caena apud Bethaniam, Matth. 26.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 274.)

CONGR. Delibare instantem meditationem more solito.

PRAEL. I. Quomodo Christus cum Lazaro resuscitato coenaverit in domo Simonis leprosi.

PRAEL. II. Imaginari sibi locum convivii.

PRAEL. III. Petere gratiam *diligendi Christum cogitatione, verbo, et opere.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Laza-

rum resuscitatum, sorores eius, Simonem leprosum, ceterosque Bethanienses, quomodo exceperint Iesum reducem in Bethaniam *ante sex dies Paschae*, Ioan. 12. . . . *INTEL.* Contemplemur in eis *interiorem devotionem* erga Christum: eorum *fidem*, *spem*, *charitatem*, *reverentiam*, ceterasque *virtutes* coniunctas cum gratissima memoria tanti miraculi . . . *REFL.* Nos quoque decet cum memoria eiusdem, pluriumque secutorum miraculorum, similes erga Christum *virtutes et affectus* in nobis sentire . . . *VOL.* Prostrati ante venerabilem *Eucharistiam* eructemus ex corde verba haec: *Memor ero ab initio mirabilium tuorum* . . . *Tu es Deus, qui facis mirabilia*; Ps. 76. . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM.* Audire sermones, qui tunc in Bethania passim celebrabantur . . . *INTEL.* Non tantum *interiori* affectu, sed *verbis* etiam Christum eiusque miracula depraedicabant, et narrabant etiam alibi . . . *REFL.* Sic nos quoque praecones debemus esse beneficiorum, et magnalium Dei . . . *VOL.* *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua*, Ps. 9. *Pronuntiabo mirabilia tua*, Ps. 70. *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te*, Ps. 21. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus erat *in Bethania in domo Simonis leprosi*, Matth. 26. *Fecerunt autem ei caenam ibi, et Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo*, Ioan. 12. . . . *INTEL.* Sic illi Christum diligebant non solum *verbo neque lingua*, *sed opere et veritate*, 1. Ioan. 3. . . . *REFL.* Nos vero cogitatione, et verbo diligimus; sed manemus in *prima*, et *secunda* hominum *classe*, et similes illi, qui *media debitaque adminicula toto vitae tempore non admovet* . . . *VOL.* Non tantum *corde*; sed *opere* ipso offeramus Christo domum nostram, divitias, honorem, sanitatem, vitam: paremus sic ipsi coenam, et sic cum ipso *epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae sed in azymis sinceritatis et veritatis*, 1. Cor. 5. . . .

COL. Prout notantur post *tres hominum classes* (Lib. Exerc. pag. 156.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXXII.

De caena apud Bethaniam, Matth. 26.

Myst. Punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 274.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Effudit Maria unguentum super caput eius, ubi Christus coenabat.

PRAEL. II. Videre locum coenae.

PRAEL. III. Petere *inflammatum desiderium adhaerescendi Christo tanto propensius, quanto incredibiliorem eius in nos amorem conspicimus* (Lib. Exerc. pag. 139.).

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus Iesum accumbentem in domo Simonis leprosi, *et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus*, Ioan. 12. Maria vero parabat unguentum . . . *INTEL.* Consideremus Lazarum animo et oculis fixum in *contemplatione* sui Servatoris, Marthae interiorem *devotionem* ministrandi, Mariae *solicitudinem* ad dignum aliquem Christo honorem exhibendum: omnes plenos benevolae in Christum *charitatis* . . . *REFL.* Sic decet nos quoque interiori animo esse erga Christum Servatorem nostrum tam amabilem... *VOL.* Totos nos effundamus in admirationem tantae potentiae, tantaeque pulchritudinis Christi, contemplemur eius in nos amorem, et beneficia; cogitemus quomodo illi *obsequium, reverentiam, et honorem* praestare velimus, praesertim in *coena Eucharistica* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Imaginemur quid personae illae eaedem dixerint, aut potuerint dicere? . . . *INTEL.* Credibile est Lazarum exclamasse non semel intuendo Christum: *Redemptor vitae meae,*

Thren. 3. Martham vero aliis ingeminasse, *servite Domino in laetitia*, Psal. 99. Mariam denique Christo sic locutam, *oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentulae dilexerunt te*, Cant. 1. . . . *REFL.* Applicemus nobis haec omnia. Nam non minoribus titulis debemus Christum diligere, eique servire . . . *VOL. Amemus* Christum tamquam Creatorem et Redemptorem, et Dominum, et Deum nostrum: idque coram aliis voce etiam testemur *ipsum laudando*.

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis;* Matth. 26. *et domus impleta est ex odore unguenti*, Ioan. 12. . . . *INTEL.* Merito Maria effudit illud unguentum supra caput Christi tam amabile, quod plenum erat donis et fructibus Spiritus Sancti; cuius virtutum odor non tantum domum illam, sed et totum orbem terrarum, et coelum replet, et omnes recreat . . . *REFL.* Curemus ut nos quoque participes fiamus illius odoris, et dicere possimus: *Christi bonus odor sumus*, 2. Cor. 2. . . . *VOL.* Decernamus omni studio id agere, ut *bono virtutum odore* omnes trahere conemur a vexillo diaboli ad *suave iugum, et Vexillum Christi* . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXIII.

De caena apud Bethaniam, Matth. 26.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 274.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo Christus Mariam defenderit contra Iudam obmurmurantem.

PRAEL. II. Conspicere locum convivii.

PRAEL. III. Petere gratiam *contemnendi hominum iudicia, et sequendi pauperem Christum*.

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* A Maria ungente

caput Christi convertamus nos ad alios praesentes. *Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos . . . et fremebant in eam*, Marc. 14. *Videntes autem discipuli indignati sunt*, Matth. 26. . . . *INTEL.* In meditatione de *duobus Vexillis* bene excitamur *ad opprobrii contemptusque desiderium*: nam bene Christo servientibus perversa hominum iudicia sunt subeunda . . . *REFL.* Cogitemus quam stulte egerimus, dum ob *timorem* iudiciorum humanorum *obsequium* Christi omisimus! . . . *VOL. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer, aut ab humano die . . . qui autem iudicat me Dominus est*, 1, Cor. 4. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus autem dixit: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me.* etc. Matth. 26. . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo Christus defendat Mariam, quam fortiter et apte, significans etiam hanc unctionem referri ad sepulturam suam . . . *REFL.* Concludamus Mariam ab illa Christi defensione tantum solatii habuisse, ut non moveretur indigno fremitu aliorum, idemque nobis eventurum, si iudicia et opprobria hominum contemnamus . . . *VOL.* Renovemus desideria *patiendi opprobria et contemptum* propter Christum: *Bonum est confidere in Domino: quam confidere in homine*, Ps. 117. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Indagemus causam, cur Iudas ita obmurmurarit: nam ipse praecipue fuit indignatus, ut significatur, Ioan. 12. . . . *INTEL.* Causa patet ex eodem Ioannis loco, *quia fur erat*, inquit . . . *REFL.* Hinc discamus, quando diabolus aliquem tenet vinctum laqueis, et catenis cupiditatis *divitiarum*, quomodo in *alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus* . . . *VOL.* Toto cordis affectu detestemur vexillum diaboli, et amplectamur *paupertatem, et opprobrium crucis Christi* . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXXIV.

De die palmarum, Matth. 21.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 275.)

CONGR. Delibare instantem Meditationem etc.

PRAEL. I. Quomodo Christus volens intrare Ierosolymam, iusserit sibi adduci asinam, et pullum.

PRAEL. II. Conspicari *Bethphage ad montem Oliveti*, ubi haec facta, Matth. 21.

PRAEL. III. Petere gratiam *obediendi Christo*, *et sequendi eius vestigia.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus Iesum in Bethphage. *Cum appropinquassent Ierosolymis*, *et venissent Bethphage ad montem Oliveti*, Matth. 21.... *INTEL.* In Bethphage erat vicus, in quo alebantur agni Paschales, quos Sacerdotes ducebant in Templum in Paschate immolandos: voluit videlicet Christus ad suam, quam sciebat instare mortem, parare se in Bethania, hoc est in domo obedientiae, ut humiliaret se *factus obediens usque ad mortem.* Ex Bethania venit in Bethphage, ut quasi agnus Paschalis immolandus Hierosolymam duceretur ... *REFL.* Hinc discimus per *humilem obedientiam* nos debere parari, ut cum Christo *vitam*, *sanitatem*, *divitias*, *honorem*, *et nos totos* Deo immolemus . : . *VOL.* Alte animo insculptum conservemus illud, Phil. 2.; *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Aspiremus ad tam *humilem obedientiam*, eamque sub vexillo Christi petamus . ..

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus discipulis duobus ait: *Ite in Castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet; et confestim dimittet eos*, Matth. 21. . . . *INTEL.* Haec Christi verba continent multiplicem prophetiam, ut conside-

ranti patet . . . *REFL.* Agnoscamus ex his divinam dignitatem Imperatoris nostri, sub cuius vexillo militamus . . . *VOL.* Adoremus itaque eum, revereamur, laudemus, amemus ipsum ex *toto corde* . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut praecepit illis Iesus: et adduxerunt asinam, et pullum*, Matt. 21. . . . *INTEL.* Perpendamus hic *fidem* discipulorum, qua crediderunt Christo res absentes et futuras enuntianti; et *promptam ac caecam obedientiam* . . . *REFL.* Exploremus ad haec *fidem*, et *obedientiam* nostram . . . *VOL.* Consecremus nos omnes *caecae*, et *humili obedientiae* ex amore erga Christum . . .

COL. De *duobus Vexillis*, (Lib. Exerc. pag. 151.). postulando *tres illos perfectionis gradus; qui perfectam obedientiam, et virtutes omnes statim introducunt* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXV.

De die palmarum, Matth. 21.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 275.)

CONGR. Non mutatur.

PRAEL. I. Quomodo Christus asinam ascenderit Apostolorum vestibus instratam.

PRAEL. II. Intueri in Bethphage locum, ubi Christus asinam ascendit.

PRAEL. III. Petere gratiam *tertii modi humilitatis*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur apparatum, quo Christus ex Bethphage vult intrare Hierosolymam . . . *INTEL.* Intueamur primum asinam instratam vestibus discipulorum; nam haec fortior erat pullo ad montem Oliveti superandum: tum contemplemur Christum asinae insidentem, et discipulos paratos ad Christum comitandum. Non alii adsunt famuli, non equi, non tubae, non tympana, etc. . . . *REFL.* Nos deliberemus an hunc, an vero mundanum apparatum eligere velimus? . . . *VOL.* Adhibito prio-

re, et posteriore eligendi modo, haud dubie *Christo* potius, quam *mundo assimilari* eligemus. Hanc *electionem* toto cordis affectu Christo offeramus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Prophetam Zachariam cap. 9. de hoc apparatu ad Hierosolymitanos loquentem: *Iubila, filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi iustus, et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae* . . . *INTEL.* En ut diserte *paupertatem* Christi praedicit, quae in meditatione de *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 149.) ex Christi praescripto debet primo loco omnibus suaderi . . . *REFL.* Nos vero perpendamus eundem Christum *pauperem* ab eodem Propheta vocari: *iustum, Salvatorem, et Regem* . . . *VOL.* Prosternamus nos ante *iustum, et pauperem hunc Regem*, et nos totos illi devoveamus, ipse enim *salvabit* nos . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Indagemus causam cur Christus, qui pedes solebat ire et ingredi Hierosolymam, nunc talem apparatum admittat? . . . *INTEL.* Praedixerat ante, nominatim in coena apud Bethaniam, instantem sibi passionem, mortem, et sepulturam: noluit autem ad eam ire quasi *tristis et coactus*, quam *desiderio desideraverat* . . . *REFL.* Sic nos convenit alacri animo suscipere crucem Christi, qui *proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Hebr. 12. . . . *VOL.* Nos igitur renovemus protestationem nostram, quam declaravimus his verbis: *Hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum* etc. (Lib. Exerc. pag. 117.). Amplectamur videlicet *tertium humilitatis modum, non ex tristitia, aut ex necessitate*, 2. Cor. 9.; sed *ex animo*, sed cum *desiderio*, et ex *amore* erga Christum . . .

COL. De *tertio modo humilitatis, petendo magnos animos ad exequendum certissimum nostrum decretum* (Lib. Exerc. pag. 169.) . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXXVI.

De die palmarum. Matt. 21.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 275.)

CONGR. Desiderium cognoscendi charitatem Christi in nos.

PRAEL. I. Quomodo Christo Hierosolymam ingredienti occurrerit populus, et acclamaverit: *Hosanna Filio David* etc.

PRAEL. II. Conspicere portam, et ingressum in Hierusalem.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum tamquam Regem amandi, et sequendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum, torrente Cedron superato, per portam auream invehi Hierosolymam, et turbam hominum ingentem ipsi occurrentem . . . *INTEL.* Viderant tot eius miracula, ac recentissime Lazarum sciebant resuscitatum; hinc in animo interiori istorum hominum magna erat admiratio, aestimatio, benevolentia, veneratio, et reverentia erga Christum tamquam Dominum, Regem, et Dei Filium . . . *REFL.* Nobis quoque miracula illa, et plura deinde facta nota sunt; debemus proinde interiori animo erga Christum etiam sic affecti esse . . . *VOL.* Cum *magna fide* eliciamus cum turbis illis affectus *reverentiae*, et benevoli *amoris* erga Christum Dominum, Regem, et Deum nostrum . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Turbae autem . . . clamabant dicentes: hosanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis,* Matth. 21. *Rex Israel*, Ioan. 12. . . . *INTEL.* Non tantum interiore animo, sed voce quoque illum Dominum ac Regem, clamantes *hosanna in altissimis*, testabantur . . . *REFL.* Hoc Christus permittit, ut nos discamus non fidere hominibus: nam post paucos dies, sicut nunc clamatur *hosanna*, sic tunc clamabitur *cru-*

cifige . . . *VOL.* Alte in animum nostrum demittamus verba illa Ieremiae 17.: *Haec dicit Dominus: maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor eius.* Nos accedamus ad Dominum eliciendo actus *spei*, et *fiduciae* in solo Deo ... .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via*, Matth. 21. . . . *INTEL.* Sic illi et sua, et res caeteras creatas adhibebant ad laudem, et reverentiam, et obsequium Christi . . . *REFL.* Sic nobis faciendum est iuxta meditationes *Fundamenti* (Lib. Exerc. pag. 71.) . . . *VOL.* Renovemus affectus in meditationibus *Fundamenti* conceptos . . .

COL. Instituamus iis conformia.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO LXXXVII.

De praedicatione in Templo. Luc. 19.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 276.)

CONGR. Solita.

PRAEL. I. Quomodo Christus quotidie in Templo docuerit.

PRAEL. II. Aspectus Templi.

PRAEL. III. Petere *zelum praedicandi Christum et sequendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum in Templo inter homines omnis aetatis, conditionis et status, qui ad ipsum confluebant . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod Christus observet illud, quod in meditatione *de duobus Vexillis* nos docuit, ut ministri sui *omni hominum generi, statui, et conditioni doctrinam sacram et salutiferam impertiant* (Lib. Exerc. pag. 149.). Praeit ipse exemplo; *venite ad me omnes*, inquit, Matth. 11. . . . *REFL.* Examinemus nos an

non simus exceptores personarum? . . . *VOL.* Cogitemus ad nos quoque pertinere illud, Luc. 4. *Evangelizare pauperibus misit me:* neque spectemus exteriora; dicamus omnibus: *Empti enim estis pretio magno*, 1. Cor. 1. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus praedicationem; et doctrinam Christi . . . *INTEL.* Non aliud praedicatur a Christo, quam *paupertas*, *abiectio sui*, *atque humilitas; quae ex diametro divitiis, honori, et superbiae opponuntur; ac virtutes omnes statim introducunt* (Lib. Exerc. pag. 151.). Huc tota Evangelii doctrina reducitur . . . *REFL.* Cogitemus quomodo nos in hac doctrina instructi simus, et quomodo alios instruamus? . . . *VOL.* Concipiamus affectum Apostoli, 1. Cor. 2.: *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum:* et 1. Cor. 1.: *Nos autem praedicamus Christum crucifixum* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et erat docens quotidie in Templo*, Luc. 19. . . . *INTEL.* Christus non vacabat ab opere docendi; sed *quotidie* erat in labore docendi et praedicandi . . . *REFL.* Memores simus verborum ipsius, quae meditati sumus in contemplatione *Regni Christi*, loquentis de gloria Patris sui: *Quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (Lib. Exerc. pag. 116.) . . . *VOL.* Excitemus *zelum* laborandi cum Christo in *docendo*, et *praedicando*: et renovemus affectum hisce verbis: *En o Rex supreme, ac Domine universorum*, etc. (ibid. pag. 117.) . . .

COL. De *duobus Vexillis* (ibid. pag. 151.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO LXXXVIII.

De praedicatione in Templo. Luc. 19.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 276.)

CONGR. Vt semper solet.

PRAEL. I. Quomodo Christus finita praedicatione in Bethaniam redierit, nullo ipsum Hierosolymis excipiente.

PRAEL. II. Iter Hierosolymis in Bethaniam cogitatione metiri.

PRAEL. III. Postulare gratiam *Christum sequendi sine spe mercedis humanae.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Christum cessantem a labore *docendi et praedicandi*, qui toto die duraverat . . . *INTEL.* Sicut Ioan. 4. legitur *fatigatus ex itinere*, sic inveniemus illum fatigatum ex diurno labore instruendi populum . . . *REFL.* Perpendamus quod sic fatigatus fuerit propter nos, ut nos et verbo et exemplo provocaret ad *laborandum* cum ipso . . . *VOL.* Dicamus cum Ecclesia: *Quaerens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Optemus cum ipso *fatigari* in operibus charitatis exemplo Tobiae cap. 2. qui erat *fatigatus a sepultura*, ab opere misericordiae temporalis...

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Christum verbo et exemplo clamantem id quod dixit, Matth. 10.: *Gratis accepistis, gratis date* . . . *INTEL.* Ratiocinemur vere illum toto die *gratis* praedicasse, sanasse, etc. Nam non legitur Hierosolymis ab ullo fuisse exceptus hospitio . . . *REFL.* Meminerimus regulae nostrae 27. Summ. quae monet nos *gratis dare debere quae gratis* accepimus . . . *VOL.* Excludamus ab animo nostro omnem *cupiditatem donorum*, et cuiusvis *remunerationis* laborum nostrorum. *Quid mihi est in coelo, aut a te quid volui super terram?* Ps. 72. Ita servemus regulam nostram, ut cum Samuele dicere

possimus: *Loquimini de me coram Domino . . . si de manu cuiusquam munus accepi*, 1. Reg. 12. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim*. Marc. 11. . . . *INTEL.* Finito praedicandi, et docendi *labori* novus *labor* succedebat redeundi cum duodecim in Bethaniam: quamquam nec in via cessabat ab instructione Apostolorum, nec in Bethania ab instructione populi accurrentis . . . *REFL.* Consideremus quod in illo multiplici, et quasi perpetuo *labore* nihil sit, quod non spiret *paupertatem, abiectionem sui, et humilitatem* . . . *VOL.* Renovemus, et suscitemus in nobis *spiritum tertii modi humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 165.), ut Christo optimo Imperatori nostro possimus *assimilari* . . .

COL. Conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

TERTIAE HEBDOMADAE
MEDITATIONES

In hac quoque *Hebdomada* ex singulis *punctis Mysterii* dabimus unam integram *Meditationem* cum *sex punctis*, iuxta modum praescriptum a S. P. nostro in hac *Hebdomada* (Lib. Exerc. pag. 192.). Discrimen inter *puncta Mysterii*, et *puncta Meditationis* videri potest in *Explanationibus* (Ibid.).

MEDITATIO I.

De Coena ultima. Matt. 26. et Joan. 13.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 277.)

CONGR. *Vbi faero experrectus praecogitans quo tendam, et instantem contemplationem paululum delibans, interim dum surgo et accingor, adnitar simul ad tristitiam et dolorem de tot ac tantis Christi poenis meipsum acriter incitare* (Lib. Exerc. pag. 199.).

PRAEL. I. Christus comedit cum discipulis suis Paschalem agnum, eosque de imminente sua morte praemonuit.

PRAEL. II. Conspicari locum Coenae.

PRAEL. III. Petere gratiam *intime Christo compatiendi et dolendi, quod propter nostra peccata ad tot dolores et tormenta se exponat.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum cum discipulis comedentem agnum Paschalem . . . *INTEL.* Contemplemur externum ritum. *Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter. Est enim Phase, idest transitus Domini*, Exod. 12. . . . *REFL.* Nos discamus hinc, quod accincti esse debeamus ad iter in aeternitatem, cuius Phase erat

figura . . . *VOL.* Statuamus implere illud quod toties audivimus, *sint lumbi vestri praecincti etc.* Luc. 12. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit: *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est,* Matt. 26. . . . *INTEL.* Christus nihil acerbum addit: neminem nominat . . . *REFL.* Consideremus quoties nos deflectamus ab ipsius *mansuetudine* in nostris verbis . . . *VOL.* Imitemur deinceps hanc *mansuetudinem* Christi, qui dixit: *Mitis sum, et humilis corde.* Matth. 11. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus comedit cum discipulis agnum Paschalem . . . *INTEL.* Sic satisfecit, et curavit satisfieri a suis praecepto Legis antiquae . . . *REFL.* Examinemus an nos quoque soliciti simus, ut a nobis et aliis serventur praecepta, ordinationes et regulae? . . . *VOL.* Dicamus Deo: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei,* Ps. 118. . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Circumspiciamus omnes, cum quibus Christus comedit Paschalem agnum . . . *INTEL.* Valde sensibile fuit cum illis convesci, qui post paucas horas illum *derelicturi* erant; cum uno, qui ter ipsum *negaturus* erat; et cum altero, qui illum *traditurus* erat . . . *REFL.* Inveniemus in hoc genere nos nil simile passos . . . *VOL.* Quando Regem nostrum videmus in illis angustiis, *compatiamur* illi: et cibum ac potum nostrum cum *fletu misceamus* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Contemplemur Divinitatem unitam humanitati Christi . . . *INTEL.* Tamen ita Iudae permittit Divinitas suam libertatem, et adeo non adiuvat humanitatem ac si unita non esset . . . *REFL.* Et tamen nos *obmurmuramus* Deo, quando *non statim eripit* nos a tribulatione . . . *VOL.* Confundam me, tamquam *indignum* militia Regis tanta patientis . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Iterum recogi-

temus *tribulationem* Christi in consortio illo convescentium . . . *INTEL.* Haec omnia *patienter* sustinet, ut doceat homines *patientiam in iniuriis et adversis*, et satisfaciat pro peccatis *impatientiae* . . . *REFL.* Recenseamus peccata *impatientiae* nostrae . . . *VOL.* Pudorem excitet et statuat melius sequi Christum *in ferendis iniuriis*, et *adversis omnibus* (Lib. Exerc. pag. 118.). . . .

COL. Petendo gratiam a Christo per illam *tribulationem*, ut possimus deinceps ex amore erga ipsum *mansuete et patienter* loqui et agere cum iis, qui nobis *adversantur* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO II.

De Coena ultima, Matth. 26, et Ioan. 13.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 277.)

CONGR. Vt in praecedenti.

PRAEL. I. Quomodo Christus laverit pedes discipulorum.

PRAEL. II. Conspicere locum.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi humilitatem Christi*, *et cum eo patiendi*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Christus *cum accepisset linteum praecinxit se*, Ioan. 13. . . . *INTEL.* Sic erat *formam servi accipiens*, Phil. 2., accinctus ad famulandum . . . *REFL.* Nos interea formam servi erubescimus . . . *VOL.* Non erubescamus; sed optemus eodem *vestitu indui*, quo Regem nostrum *indutum* videmus . . .

PVNCT. II. — Verba — *MEM.* Post lotionem dixit Christus. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*, Ioan. 13. . . . *INTEL.* Expendamus duas illas voces, *Ego* et *vos*; quis *Christus*? qui *nos*? . . . *REFL.* Concludamus nos omni ratione *obligatos* ad faciendum, quod ipse fa-

cit . . . *VOL.* Dicamus cum Petro: *Domine, tu mihi lavas pedes? Tu* Deus, *mihi* peccatori? Domine noverim te, noverim me; ut amem te, et contemnam me...

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Lavit discipulorum pedes, etiam Iudae . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo prius opere laverit, quam dixerit: *Exemplum dedi vobis* . . . *REFL.* Discamus praevertere verba opere, ut sicut de Christo sic de nobis dici possit; *Potens in opere et sermone*, Luc. 24. . . . *VOL.* Fateamur culpam nostram, qui saepe dicimus; et tarde, imo interdum nunquam facimus . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Lavit pedes Iudae, tamen Iudas manet pertinax, nec convertitur . . . *INTEL.* Consideremus *quanta* fuerit Christo haec *crux* . . . *REFL.* Discamus *patientiam*, quando fructus non correspondet *labori* nostro . . . *VOL.* Deinceps quando alii contemnent suasiones et facta nostra, coniungamus *afflictionem* nostram cum hac Christi *cruce*; deprecando tamen semper aliorum culpam . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* De Christo dicitur, Ioan. 13.: *Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum* . . . *INTEL.* Per hanc *scientiam* prodebat se Divinitas: nihil tamen prodit *vindictae* in Iudam . . . *REFL.* Nos interea proni et prompti sumus ad *vindicandum* . . . *VOL.* Doleamus, et deinceps oremus *pro persequentibus et calumniantibus* nos, Matth. 5. Lavemus pedes, et bene eis faciamus . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Redeat in memoriam Christus prostratus *in genua* ad lavandos pedes ipsius Iudae . . . *INTEL.* Nostra *ira*, nostra *invidia*, noster spiritus *vindictae*, nostra *superbia* sunt causae Christo tantae *humiliationis et afflictionis* . . . *REFL.* Examinemus nos in his penitius . . . *VOL.* Amemus Regem nostrum, qui, ut curaret illa nostra vitia, tam *dira pati* dignatur; ex illo *amore* sequatur intimus *dolor et contritio* de peccatis cum *proposito* emendationis . . .

COL. Ad Christum petendo idem quod in meditatione *de duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.), scilicet desiderium *contemptus et opprobriorum*.
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO III.

De Coena ultima. Matth. 26. et Ioan. 13.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 278.)

CONGR. Delibare meditationem, ut supra dictum.
PRAEL. I. Christus post esum agni Paschalis, et lotionem pedum, instituit venerabilem *Eucharistiam*.
PRAEL. II. Aspicere Coenaculum, in quo haec fiebant.
PRAEL. III. Petere *devotionem erga hoc Sacramentum, et charitatem erga omnes, ut digne illud sumamus*.
PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere Apostolos post lotionem pedum accumbentes, ut acciperent *Eucharistiam* . . . *INTEL.* Omnes erant recte *dispositi et mundi*, excepto Iuda, qui iuxta communiorem sententiam etiam communicavit. *Vos mundi estis, sed non omnes*, Ioan. 12. . . . *REFL.* Examinemus *munditiem* nostram ante *Communionem* . . . *VOL.* Statuamus nos bene disponere ad illum *cibum*, qui *mors est malis*, *vita bonis*. Sequamur monitionem Apostoli, 1. Corinth. 11: *Probet autem seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat* . . .
PVNCT. II. — Verba. *MEM.* Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem* . . . *quotiescumque enim manducabitis* . . . *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, 1. Cor. 11. . . . *INTEL.* Perpendamus quam amabilem habeamus Regem et Imperatorem, qui *amoris sui*, quem maxime erga homines in passione exercuit, vult apud omnes *perpetuam* esse *memoriam* . . . *REFL.* Cogitemus ex hac *memoria*

argui *magnitudinem* vel *tenuitatem amoris* nostri erga Christum . . . *VOL.* Dicamus: *O memoriale mortis Domini, panis vivus vitam praestans homini, praesta meae menti de te vivere, et te illi semper dulce sapere. O Sacrum Convivium*, etc.

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Iesus dixit: *Accipite et comedite, hoc est Corpus meum*, Matth. 26. . . *INTEL.* Convertendo panem in Corpus suum substituit veram rem, quae figurabatur per esum agni Paschalis: et sicut sacrificium agni fuit institutum in memoriam exitus de Aegypto, sic hoc Sacrificium institutum est in *memoriam* exitus Christi ex hoc mundo ad Patrem per *acerbissimam mortem* . . . *REFL.* Hinc patet longe *maiori reverentia* accedendum esse ad *Eucharistiam*, quam olim ad esum agni Paschalis . . . *VOL.* Doleamus quod non satis digne accedamus. Praeparemus nos *diligentissime* ad *Communionem, et Sacrificium* . . .

PVNCT. IV. — QVID PATIATVR. — *MEM.* Christus dixit. *Hic est Calix novum testamentum in sanguine meo . . . Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Quanta fuit *afflictio* Christo praesentia tam perditi proditoris, et simul praescientia plurium qui indigne ad hanc mensam accessuri erant, futuri rei *Corporis et Sanguinis Domini*, 1. Corinth. 11. . . . *REFL.* Examinemus nos an simus inter illos? an saltem rei non simus *languoris* in accedendo? . . . *VOL.* Doleamus et emendemus nos; sed quia Christus non omisit ideo se communicare Iudae, oremus ipsum, ut insculpat cordi nostro illa verba, Matthaei 5. *Benefacite his, qui oderunt vos* . . .

PVNCT. V. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* Iudas manet pertinax in pessimo consilio . . . *INTEL.* Perpendamus potuisse Divinitatem momento *perdere* Iudam, et Christum *liberare* ab illa iniuria; sed ex *amore* erga nos non liberavit . . . *REFL.* Nos tamen conamur semper *iniurias abigere* a nobis . . . *VOL.* Dicamus: o Iesu, vicissim ex *amore* erga te volo *quam*

possum proxime te sequi in ferendis iniuriis et adversis omnibus, idque iuxta *tertium humilitatis gradum* (Lib. Exerc. pag. 165.); quamvis par utrimque tua gloria esset . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS — *MEM.* Apprehendamus iterum *sensum* Christi ex illa Iudae obstinata malitia . . . *INTEL. Attritus est propter scelera nostra*, Isai. 53. . . . *REFL.* Examinemus peccata nostra contra proximum. Nam haec causa fuerunt, cur tam indigna Christus a Iuda passus sit . . . *VOL.* Agnoscamus *nos* esse *causam* Christo tantae tribulationis; *contritione* conemur delere culpam: ut deinceps possimus Deo dicere: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, Ps. 7. . . .

COL. Conforme *tertio gradui humilitatis*, quatenus pertinet ad *iniurias et ludibria* a proximis perferenda (Lib. Exerc. ibid.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IV.

De Mysteriis post coenam, et in horto gestis, Matth. 26. et Marc. 14.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 278.)

CONGR. Mane *experrecti*, etc. ut explicatum est (Med. 1.).

PRAEL. I. Post coenam Christus vadit ad montem Oliveti, octo discipulis manentibus in Gethsemani.

PRAEL. II. Imaginari sibi montem Oliveti, et villam Gethsemani.

PRAEL. III. Postulare *ardentem charitatem erga Deum, et propter Deum erga proximum.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videre Christum cum discipulis euntem ad montem Oliveti . . . *INTEL.* Consideremus discipulos plenos *metu et tristitia*; Christum vero Regem plenum *charitate* erga Patrem suum et nos tendentem ad locum praelii . . . *REFL.* Haec

charitas est *armatura Dei* qua debemus nosipsos etiam armare, ut non timeamus sicut discipuli: *Nam timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem*, 1. Ioan. 4. . . . *VOL.* Humillime petamus a Deo fructum primum Spiritus Sancti qui est *charitas*, et donum *fortitudinis*, ut ex *amore* Dei et proximi *fortiter* eamus ad praelia *adversus insidias diaboli*, Eph. 6. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit; *Sedete hic donec vadam, illuc et orem*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Iam Principes et Pharisaei mala de Christo loquebantur: Christus autem dicit. *Detrahebant mihi, ego autem orabam*, Ps. 108. . . . *REFL.* Nos in talibus casibus male ad alia solatia confugimus. . . *VOL.* Deinceps vero fugiamus ad Deum in *oratione*; *quia tu es Deus fortitudo mea*, Ps. 42. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Dixit Christus. *Sedete hic donec vadam illuc, et orem*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Notemus quid hic agat Christus. Tamquam optimus Dux suis *commodiorem stationem* dat, et iubet sedere, dum ipse cum paucis pergit ad *laboriosam orationem*. . . *REFL.* Nos vero magis *laboriosa* ad alios reiicimus . . . *VOL.* Fateamur nobis deesse *charitatem*, quae *non quaerit quae sua sunt*, 1. Cor. 13. Petamus illam . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Recogitemus quod cum undecim tantum iverit absente proditore . . . *INTEL.* Perpendamus *quantus sensus* fuerit in Christo ita *deseri* a Iuda, cui tot beneficia et amoris signa praestiterat . . . *REFL.* Nos quoque peccando post beneficia tot *deserimus* Deum . . . *VOL.* Pudeat nos, et excitemus perfectam *contritionem*, et Christo *compatiamur* ex corde . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Iam Iudas cum Pharisaeis agebat de modo Christum capiendi . . . *INTEL.* Haec omnia videbat Divinitas; sed quod ab aeterno statuerat, volebat opus redemptionis nostrae reipsa peragi . . . *REFL.* Nos haeremus in *prima* fro-

minum *classe*, qui statuunt et non faciunt . . . *VOL.* Statuamus nos in *tertia classe*, et renovemus proposita ibi facta . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Pergit igitur Iudas in negotio proditionis . . . *INTEL.* Causa cur Deus hoc permittat est, ut daret *redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. 2. *REFL.* . . . Consideremus quae nostrae sint partes, quando haec cognoscimus . . . *VOL.* Optemus nos quoque *agere*, et *pati* Christi causa, qui ita dilexit nos . . .

COL. Conforme meditationi de *tribus hominum Classibus* (Lib. Exerc. pag. 155.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO V.

De Mysteriis post coenam, et in horto gestis, Matth. 26. et Marc. 14.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 279.)

CONGR. Dum surgimus, ad *Christo compatiendum nos incitare*, sicut supra dictum est.

PRAEL. I. Christus ductis secum tribus discipulis, in agonia prolixius orat, ter idem dicens.

PRAEL. II. Inspicere locum orationis.

PRAEL. III. Petere gratiam *ipsius exemplo bene orandi, et patiendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere Christum in terram prostratum ad orandum. *Procidit in faciem suam orans*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Docemur hic *reverenter* orare . . . *REFL.* Patet quid nos deceat peccatores, dum oramus . . . *VOL.* Nos quoque prostrati dicamus cum Abrahamo Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus orat: *Transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Perpenda-

mus illam *resignationem* . . . *REFL.* Nos haeremus in *secunda classe* hominum, volentes *Deum potius trahere ad votum proprium* (Lib. Exerc. pag. 155.) . . . *VOL.* Excitemus affectus proprios *tertiae classi* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus post primam orationem *venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Interrupit orationem ut suos visitaret . . . *REFL.* Nos quoque ex *charitate* decet orationem interrumpere interdum... *VOL.* Excitemus actum *charitatis* erga proximum, eamque *ordinatam; ordinavit in me charitatem*, Cant. 2. . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Christus *factus in agonia prolixius orabat*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Aestimemus *magnitudinem doloris* ex cognitis iniuriis praesentibus, et tormentis usque ad mortem futuris; unde iam nunc versatur in agonia . . . *REFL.* In tot meditationibus agnovimus illum pro Duce et Rege nostro: cogitemus igitur quid nobis hic debeat esse animi? . . . *VOL.* Testemur hunc esse *animum* nostrum, hoc *desiderium libenter* cum Christo et ex *amore* Christi *pati. Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, 1. Pet. 2. . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM. Apparuit autem illi Angelus de coelo confortans eum*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Divinitas hunc Angelum misit, ut *confortaret*, non ut *liberaret* a passione . . . *REFL.* Nos vellemus *liberari* saepe a patiendo, non tantum *confortari* . . . *VOL.* Iterum hic exerceamus nos in *tertia classe* hominum . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Redeat in memoriam *agonia* . . . *INTEL.* Causa tanti doloris fuit, *ut peccatis mortui iustitiae vivamus*, 1. Pet. 2. . . . *REFL.* Cogitemus quid nos peccatores facere debeamus, quando ipse pro peccatis nostris tanta patitur? . . . *VOL.* Per veram *poenitentiam interiorem* satisfaciamus, et etiam per *exteriorem* pro peccatis nostris; et

patiamur cum illo, *qui peccatum non fecit*, 1. Pet. 2....
COL. Conforme meditationi *de tribus hominum Classibus* (Lib. Exerc. pag. 155.).
RECOLLECTIO.

MEDITATIO VI.

De Mysteriis post caenam, et in horto gestis, Matth. 26. et Marci 14.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 279.)

CONGR. Vt fit in hac hebdomada.

PRAEL. I. Quomodo Christus existens in agonia sudaverit sanguinem.

PRAEL. II. Mente intrare in hortum, et illum circumspicere.

PRAEL. III. Petere gratiam *verae poenitentiae ex consideratione tantorum Christi dolorum.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM. Coniicere licet*, inquit S. P. noster, *vestimenta eius iam tunc fuisse madefacta cruore* . . . *INTEL.* Contemplemur igitur Christum *veste cruentata* indutum; et meminerimus hanc conditionem militantibus sub eius *Vexillo* esse propositam; ut non alio utantur *vestitu*, quam quo Regem suum utentem conspexerint . . . *REFL.* Videamus an iuxta reg. Summ. 11. iisdem Regis nostri *insignibus* indui parati simus? . . . *VOL.* Non modo nos paratos ad id offeramus; sed etiam *insignia illa eligamus* sive aequalis, sive maior Dei gloria id requirat . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus dixit. *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. . . *INTEL.* Perpendamus magnitudinem istius tristitiae, quae erat *usque ad mortem* . . . *REFL.* Sciamus tantae tristitiae causam dedisse peccata nostra: atque illa nominatim, quae oriuntur ex defectu *indifferentiae* erga *sanitatem et aegritudinem*, erga *longam* vel *brevem vitam* . . . *VOL.* Magno animo offeramus nos *in-*

differenter ad utrumque non solum ex rationibus quas in *Fundamento* (Lib. Exerc. pag. 71.) consideravimus; sed etiam ex *amore* erga Christum, qui nostra causa tantam *tristitiam* passus est . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus voluit Petrum, et duos filios Zebedaei vigilare secum. *Sustinete hic, et vigilate mecum*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Hoc est, quod Rex noster sequentibus se proposuit: *In iisdem quoque . . . vigiliis . . . mecum persistendum erit* (Lib. Exerc. pag. 115.) . . . *REFL.* Perpendamus an Christus non possit nobis exprobrare idem quod Petro: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Matth. 26. . . . *VOL.* Offeramus nos toto corde ad *vigilandum* cum Christo. Nos ipsi exprobremus nobis *ignaviam* nostram, quod, Rege nostro *vigilante*, nos *dormiamus* . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Christus *tristis* erat *usque ad mortem*; ita ut sudor sanguineus fuerit expressus . . . *INTEL.* Vere dicere poterat Christus illud Threnor. 1.: *Videte si est dolor sicut dolor meus.* Nam quis vidit tantum dolorem, qui *sanguinem* exprimeret? . . . *REFL.* Hinc concludamus, quam immerito conqueramur de *doloribus et angustiis* nostris interioribus . . . *VOL.* Compatiamur Christo, et cum illa ipsius *tristitia* coniungamus interiores *desolationes et tribulationes* nostras . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Recordemur et observemus, quod nullum *miraculum* hic appareat, quo Christus liberetur a tanta *tristitia* . . . *INTEL.* Merito dicere poterat; *torcular calcavi solus*, Isa. 63. Torcular illud, quod sanguinem expressit, *solus* etiam sine adiutorio ad liberandum Divinitatis; nisi quod *miraculo sustentarit* me, ne sub agonia morerer, ut plura paterer . . . *REFL.* Nos post tale exemplum Imperatoris nostri conquerimur, quod *miraculo* a tribulatione nostra non liberemur . . . *VOL.* Clamemus nos potius cum S. F. Xaverio: *Amplius, Domine, amplius* . . .

PVNCT. VI. Qvid nos. *MEM.* Respiciamus ite-

rum Christum *tristem, et sanguinem* sudantem . . . *INTEL.* Cogitemus horum omnium causam esse peccata nostra, quorum proinde *malitia* necesse est quodammodo *infinita* sit . . . *REFL.* Consideremus quae nostrae sint partes, quidve tantae in nos misericordiae rependere debeamus? . . . *VOL.* Christus pro peccatis nostris *sanguinem* sudavit: nostrum saltem est *lacrymis* stratum nostrum rigare. Dicamus proinde: *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte*? Ierem. 9. . . .

COL. Ad Christum petendo gratiam *perfectae contritionis: et perfectae humilitatis iuxta tertium gradum* (Lib. Exerc. pag. 165.), ut sic *tanto amori* aliquatenus respondeamus . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO VII.

De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum, Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 280.)

CONGR. Vt supra. .

PRAEL. I. Quomodo permiserit se Christus osculo tradi, postquam verbo hostes prostraverat.

PRAEL. II. Speculari locum comprehensionis.

PRAEL. III. Petere gratiam *patientiae, benignitatis, et mansuetudinis in compatiendo Christo.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM. Ecce Iudas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus*, Matth. 26. . . . *INTEL.* Aspiciamus Christum in medio istorum luporum iuxta illud Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*: sed contemplemur in Christo *prudentiam et simplicitatem*, iuxta id quod ibidem additur: *estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae* . . . *REFL.* Comparemus nostram *prudentiam et simplici-*

tatem (quae virtutes praecipue consistunt in donis et fructibus Spiritus Sancti) cum illa *prudentia et simplicitate*. Christi . . . *VOL*. Confiteamur, dum inter adversarios sumus, nos non tamquam oves; sed subinde tamquam canes rabidos et lupos inter eos versari, et procul a nobis abesse illam *prudentiam et simplicitatem*. Doleamus de nostra impatientia, ira, pusillanimitate etc.: decernamus meliora . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM*. Christus dixit: *Quasi ad latronem existis*, Luc. 22. . . *INTEL*. Illa verba, quae designant quantum sui *contemptum*, quanta *opprobria* Christus innocens passus sit, docent nos quod cum Rege nostro etiam tamquam *malefactores* reputari debeamus, *innocenter* tamen . . . *REFL*. Examinemus, an iuxta *tertium humilitatis gradum* optemus potius cum Christo sic vilipendi, quam aestimationem hominum de nobis habere? . . . *VOL*. Agnoscamus, et deploremus insipientiam, et infirmitatem nostram, et affectus *tertii modi humilitatis* cum fervore excitemus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM*. Permisit se Christus osculo a Iuda tradi, capi, ligari, etc. . . *INTEL*. Ratiocinemur nobis hic repraesentari imaginem et speciem quamdam negotiorum huius mundi, qui plenus est osculis fictis, et signis falsae amicitiae; in quo innocentes *persecutionem patiuntur propter iustitiam*: unde Christus dixit Ioan. 15., *si me persecuti sunt, et vos persequentur*: et Apost. 2. Timoth. 3. *Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur* . . . *REFL*. Videamus an nos quoque parati simus ad *talia* cum Christo *patienda*? an vero ut fraudes et odia mundi fugiamus, non interdum ad *vexillum diaboli* respiciamus? . . . *VOL*. Abominemur *vexillum diaboli*, eligamus potius cum Christo *tradi, capi, ligari*, etc.; imo faciamus quod Christus, Matt. 5. nos docuit: *Cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint . . . gaudete et exultate*: non tantum gaudeamus, sed et exultemus . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Aspiciamus Christum iam ligatum, raptum a militibus, etc. . . . *INTEL.* Perpendamus quantum patiatur in *brevitate vitae*; nam sciebat se in mortem rapi: quantum in *aegritudine et doloribus*, quos iam nunc sentiebat ex violenta illa captivitate et vinculis: quantum in *paupertate*; nam spoliabatur omnibus, ab ipsis quoque discipulis desertus: quantum denique in *contemptu*, qui instar latronis raptabatur... *REFL.* Comparemus cum his quidquid hactenus passi sumus . . . *VOL.* Compatiamur Christo, etiam, si possimus, lacrymas fundendo prae dolore et pudore, quod *tam procul* absimus ab eius *vestigiis* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Cogitemus quomodo omnes illi milites ad solam Christi vocem *Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram*, Ioan. 18. . . *INTEL.* Ratiocinemur quam verum sit illud Isa. 53. *oblatus est*, *quia ipse voluit.* Nam qui verbo poterat hostes suos omnes profligare, is sane *liberrime* se permisit capi, ligari, etc. . . . *REFL.* Nos vero, quando liberum nobis est vanum mundi *gaudium* amplecti, vel Christi *crucem*, eligimus saepe *vanitatem* prae *cruce* . . . *VOL.* Doleamus de perversa nostra electione, et eligamus potius cum Christo *adversa* pati iuxta *tertium humilitatis modum* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Simul uno quasi obtutu intueamur quae Christus in hac comprehensione est passus . . . *INTEL.* Perpendamus haec omnia ipsum esse passum propter nos, propter peccata nostra, et amore erga nos . . . *REFL.* Cogitemus quid nobis faciendum sit, ut *tanto amori* respondeamus? . . . *VOL.* Rependamus *amorem* mutuum, quantum possumus, *doleamus* de peccatis; et per *tertium humilitatis modum* nos totos Christo devoveamus . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VIII.

De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum, Matth. 26. etc.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 281.)

CONGR. Vt in hac hebdomada.

PRAEL. I. Quomodo Christus sanaverit servi auriculam.

PRAEL. II. Aspicere situm horti, ubi haec acta sunt.

PRAEL. III. Petere gratiam *imitandi Christum, benefaciendo his, qui oderunt nos.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus uno quasi obtutu post Iudae osculum Tribunum et ministros comprehendentes, et manus iniicientes in Iesum; Petrum percutientem et abscindentem Malchio auriculam; discipulos fugientes; alios tenentes et ligantes Iesum . . . *INTEL.* Consideremus haec omnia, tamquam speciem quamdam huius mundi, in quo semper sunt fraudes, et seditiones, proditiones, pugnae etc.; in quo iustus patitur persecutionem, opprimitur, deseritur, etc. *Mundus totus in maligno positus est*, 1. Ioan. 5. . . . *REFL.* Tempora vitae nostrae percurramus. Nos ipsi veritatem hanc viderimus, et experti fuerimus in regnis, in provinciis, in familiis, etc. . . . *VOL.* His inspectis, iuxta Hebd. 1. statuamus *perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipere* (Lib. Exerc. pag. 97.).

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus dixit Petro: *mitte gladium tuum in vaginam*, Ioan. 18. . . . *INTEL.* Christus prohibet his verbis ne sua passio retardetur, impediatur, avertatur. Ideo addit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Haec est perfecta imago *tertiae* hominum *classis*... *REFL.* Consideremus quantum ab ipsa absimus . . . *VOL.* Resumamus optima desideria, et affectus proprios *tertiae* hominum *classi*.

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Christus *cum tetigisset auriculam eius, sanavit eum*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Sic Christus opere implevit illud quod dixerat Matth. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos* . . . *REFL.* Respiciamus nos ipsos, quam parum huius *virtutis* in nobis sit . . . *VOL.* Fateamur infirmitatem, et malitiam nostram; et anhelemus ad magnam Dei gratiam, ut in hac *virtute* proficiamus . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Iterum totum illud spectaculum occurrat oculis nostris . . . *INTEL.* Ratiocinemur, quod post tot beneficia Iudae et Malcho praestita; post exempla tantae mansuetudinis, aliarumque virtutum, pergunt tamen tamquam latronem eum ligare, etc. Sane indignitas huius rei debuit *incredibilem* Christo afferre *dolorem* . . . *REFL.* Quid sunt iniuriae, quas nos patimur, si comparentur cum hisce? . . . *VOL.* Quotiescumque nobis aliquis *dolor* in genere hoc oboritur, convertamus nos ad Christum, et audiamus eum dicentem: *Videte si est dolor sicut dolor meus*, Thren. 1.; et *libenter cum* Christo *patiamur* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Verbo prostravit hostes; Malchum sanavit. Potest exhibere Christo *plusquam duodecim legiones Angelorum.* Matth. 26. . . . *INTEL.* Divinitas ostendit se *posse*, sed *non vult* Christus liberari; usque adeo verum est illud, *oblatus est quia ipse voluit*, Isa. 53. . . . *REFL.* Nos vero *nolentes* patimur, et offerimur . . . *VOL.* Nos potius renovemus affectus *tertii modi humilitatis*; et quamvis gloria Dei par esset, eligamus et velimus potius cum ipso *pati*, quam *crucem evitare* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Tota haec scena comprehensionis Christi iterum ante oculos ponatur . . . *INTEL.* Perpendamus haec omnia passum esse Christum propter peccata nostra, ac nominatim illa, quae sunt contra *mansuetudinem*, *benignitatem*, *dilectionemque erga inimicos* . . . *REFL.* Recenseamus in nobis illa peccata impatientiae, irae, odii, vindictae,

etc. . . . *VOL.* Effundamus nos totos in actus *charitatis* erga Christum, qui ex *charitate* erga nos tanta passus est propter illa nostra peccata. De his excitemus *contritionem*, et deinceps optemus *talia pati et agere* cum ipso *benefaciendo* illis, qui *oderunt nos* . . .

COL. *Tertii modi humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO IX.

De comprehensione Christi, et traductione ad Annae domum. Matth. 26. etc.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 281.)

CONGR. Instantem meditationem delibare, sicut ante explicatum est.

PRAEL. I. Quomodo Christus ductus sit ad Annae domum, a Petro negatus prima vice, alapa percussus, et alia quae in illa domo dicta et facta sunt.

PRAEL. II. Aspicere Annae domum, et viam ex horto ad ipsam.

PRAEL. III. Petere gratiam *cognoscendi et imitandi exempla virtutum, quae Christus ibi exhibuit:* nominatim in perferendis *opprobriis et iniuriis, et in humilitate* . . .

PVNCT I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum ad Annae domum trahi, derelictum a discipulis, Petro sequente a longe . . . *INTEL.* Perpendamus Christum sic derelictum fuisse quodammodo descriptum Ps. 87., ubi legitur: *longe fecisti notos meos a me* . . . *REFL.* Nos exemplo hoc docemur non esse fidendum hominibus quamvis multa promittentibus. *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum,* Ierem. 17. . . . *VOL.* Fiduciam totam nostram collocemus in Deo: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum*

est sperare in Domino, quam sperare in principibus, Ps. 117. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Respondit ei Iesus: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene quid me caedis?* Ioan. 18. . . . *INTEL.* Haec dixit Iesus ministro, qui reprehenderat eum *dicens: sic respondes Pontifici?* ibid. Diluit igitur accusationem Christus, ne alii credant ipsum irreverenter fuisse locutum Pontifici . . . *REFL.* Docemur interdum respondendum esse iniuriis, sed mansuete, ne scilicet silentium aliis sit causa scandali . . . *VOL.* Accusemus nos ipsos quod saepe respondeamus, quando respondendum non est; quod id faciamus nimis multis et acerbis verbis. *Respondebo exprobrantibus mihi verbum*, inquiebat David Ps. 118.; hoc est *paucis*, non contendendo *multis*. Applicemus nobis quoque illud Ps. 101. quamvis non in eodem plane sensu; *respondit ei in via virtutis suae*. Et exemplo Christi sic respondeamus, ut maneamus in via virtutis, *patientiae* scilicet, *mansuetudinis, benignitatis* etc. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Petrus ad vocem ancillae ostiariae negavit se esse discipulum Christi dicens, *non sum*, Ioan. 18. . . *INTEL.* En Petrus sive Petra et fundamentum Ecclesiae tam misere labitur, et tam turpe committit peccatum postquam dixerat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. 26. . . *REFL.* Discimus hinc quod non aliis tantum, sed etiam nobis ipsis non sit fidendum . . . *VOL.* Humiliemus nos ipsos diffidentes nobis, et oremus *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, Ps. 6. *Non enim in arcu meo sperabo*, Ps. 43.; hoc est *in meis viribus* . . .

PVNCT. IV. — QVID PATIATVR. — *MEM. Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu*, Ioan. 18. . . . *INTEL.* Sive percutientem, sive percussum, sive caetera consideremus; haec iniuria est tam *enormis*, ut tanta inter homines excogitari non possit . . . *REFL.* Comparemus ea, quae nos *patimur* cum hac *alapa* . . .

VOL. Compatiamur Christo, qui passus est quod nobis debebatur. *Domine, nobis confusio faciei . . . et patribus nostris, qui peccaverunt: Tibi autem Domino Deo nostro misericordia,* etc. Dan. 9. . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Convertamus mentem ad Divinitatem haec omnia *permittentem* . . . *INTEL.* Divinitas in horto ostenderat miraculo non uno, quomodo posset momento omnes illos adversarios perdere: *permittit* tamen humanitatem *tam atrocia* pati . . . *REFL.* Hinc patet quod nos quoque multa *constanter debeamus pati,* quamvis nonnunquam *vitare* illa possimus . . . *VOL.* Confugiamus ad *tertium humilitatis modum,* nosque Christo in hoc assimilemus . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Intueamur Christum *alapa* illa *deformatum* . . . *INTEL.* Quandoquidem Divinitas potuerit omni momento iniquos illos perdere, constat solam *charitatem* erga nos peccatores causam fuisse permissae tam iniuriosae *alapae* . . . *REFL.* Cogitemus an rationis compos sit, quem tanta *charitas* non movet ad reciprocam *charitatem?* . . . *VOL.* Pudeat nos quod aliud cogitaverimus vel amaverimus, quam hunc nostrum Redemptorem. Totos nos illi immolemus in igne *reciprocae dilectionis:* quae haud dubie deducet nos ad affectus *tertii modi humilitatis* . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 163.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO X.

De gestis postea in domo Caiphae. Matth. 26.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 201.)

CONGR. Conveniens huic hebdomadae.

PRAEL. I. Quomodo Petrus rursus negaverit bis Christum, ac dein poenitentiam egerit.

PRAEL. II. Conspicari domum Caiphae.

PRAEL. III. Petere, ut *passio Christi nobis prosit ad peccatorum medelam, et ad poenitentiam.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM. Iesum duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi Scribae et Seniores convenerant* Matth. 26. . . *INTEL.* Consideremus innocentiam et sanctitatem Christi stantis coram illis tamquam iudicibus, qui sub vexillo diaboli militabant, pleni *carnis, sensuum, amoris proprii, et mundani* rebellione, ligati *cupiditate divitiarum et honoris*, tamquam laqueis, et catenis . . . *REFL.* Cogitemus nos, si *paupertatem et humilitatem* Christi sectemur, etiam expositos esse eiusmodi iudicibus, quorum mundus plenus est . . . *VOL.* Amplectamur cum summo affectu *crucem, et humilitatem* Christi, nec terreamur iudiciis eiusmodi hominum: sed dicamus cum Apostolo, 1. Cor. 4. *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Petrum bis negantem se nosse Christum; *Tunc coepit detestari, et iurare quia non novisset hominem.* Matt. 26. . . . *INTEL.* Causa tam foedi lapsus Petri fuit, quia *honorem contemptui, vitam longam brevi* praetulit: quia ne in *primo* quidem erat *gradu humilitatis* . . . *REFL.* Cogitemus quoties nos quoque ex simili causa lapsi fuerimus . . . *VOL.* Eliciamus affectus proprios *primo et secundo modo humilitatis* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et conversus Dominus respexit Petrum: . . . et egressus foras Petrus flevit amare,* Luc. 22. . . . *INTEL.* Ex his patet fortitudinem, et constantiam *gratuita esse Dei dona; quae si vindicemus nobis ut propria, superbiae et vanae gloriae crimen non sine salutis gravi periculo incursuri sumus,* Reg. 9. Hebd. 1. *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 310.) . . . *REFL.* Invenierus nos quoque saepius multa Christo in oratione addixisse, ac deinde levissimas ob causas fidem fefellisse . . . *VOL.* O utinam Dominus conversus respiciat quoque nos! Vtinam exeamus cum Petro foras, ex aula et strepitu mun-

dano, et *fleamus amare* peccata nostra! O Iesu, *respice in me, et miserere mei.* Ps. 24. . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr — *MEM.* Aspiciamus Christum ante ab aliis discipulis derelictum, tandem etiam a Petro tam turpiter *negatum* . . . *INTEL.* Ratiocinemur hanc Petri negationem tam foedam, et tam turpem Evangelii erubescentiam fuisse causam *gravissimi sensus* in Christo . . . *REFL.* Si comparemus cum hac iniuria illud quod nos interdum patimur, dum homines fallunt nobis datam fidem, quasi nihil reputabitur . . . *VOL.* Optemus etiam ex amore erga Christum eiusmodi *iniurias pati*; deprecando tamen culpam aliorum; et Christo ex toto corde *compatiamur* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Intueamur Christum, egresso Petro, iam solum in medio hostium . . . *INTEL.* Dicere poterat Christus: *Tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, et rugiens*, Ps. 21. Interea manet Divinitas abscondita, et tam indigna permittit pati humanitatem . . . *REFL.* Et nos in tribulatione optaremus cito *liberari*, et quasi conquerimur nos *deseri* a Deo . . . *VOL.* Componamus nos deinceps ad patientiam Christi, atque ipsi adhaerentes dicamus: *Non timebo millia populi circumdantis me.* Ps. 3. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit*, Ps. 31. Animos igitur accipiam ab exemplo Christi, quando *consilium malignantium obsedit me*, Ps. 21. . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Aspiciamus Christum in medio concilii malignantium, et Petrum foris flentem . . . *INTEL.* Hi sunt *labores et casus*, in quibus persistendum est illis, qui Christum *comitari* volunt . . . *REFL.* Concludamus nos etiamnum procul abesse a vestigiis Christi; et tamen toties protestati sumus, quod *proxime* velimus ipsum *sequi* . . . *VOL.* Saltem nos miseri peccatores eamus foras cum Petro, et *fleamus amare*. Fundamus lacrymas *doloris* de peccatis nostris; lacrymas *compassionis et amoris*

erga Christum, qui tanta passus est pro nobis. *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* Ierem. 9.

COL. Conforme *Hebdomadae primae.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XI.

De gestis postea in domo Caiphae. Matth. 26.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 282.)

CONGR. Vt solet in hac hebdomada.

PRAEL. I. Quomodo Christus permanserit ligatus tota illa nocte.

PRAEL. II. Imaginari sibi locum, in quo Christus erat ligatus.

PRAEL. III. Petere gratiam, ut *participes fiamus vinculorum Christi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Christum inter satellites ligatum . . . *INTEL.* Perpendamus Christum per illa vincula privatum libertate, constrictum, et impeditum, ne huc vel illuc libere se conferat. . . . *REFL.* Nos interea abutimur libertate nostra, eundo ad res fini creationis contrarias, *prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt* (Lib. Exerc. pag. 72.) . . . *VOL.* Dolorem eliciat de *malo eiusmodi usu libertatis*; et gratias agat, quod aliquatenus saltem similes Christo facti simus per *vincula Votorum* nostrorum . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM.* Audiamus Christum tacite quasi dicentem: *Funes peccatorum circumplexi sunt me*, Ps. 118. . . . *INTEL.* Intelligamus bene veritatem hanc: quia nisi homines peccassent, non sic fuisset ligatus . . . *REFL.* Recenseamus peccata nostra, ut sciamus *quanta* simus *pars* illorum Christi *vinculorum* . . . *VOL.* Contritionem excitemus, quod tam amabilem Regem nostrum tam *diris vinculis* ligaverimus . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Permansit ligatus tota illa nocte . . . *INTEL.* Meminerimus nos in contempl. *Regni Christi* invitatos fuisse ad sequendum Regem nostrum in *vigiliis* . . . *REFL.* Cogitemus quam procul absimus ab hac sequela . . . *VOL.* Offeramus nos ad *vigilias*; sive regularum, sive charitatis erga proximum vinculis constricti ad illas obligemur . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Intueamur iterum Christum ligatum tota nocte . . . *INTEL.* Perpendamus quam laboriosa fuerit nox illa; tum propter *vigilias*, tum propter *vincula*, idque *tam longo tempore*. . . *REFL.* Cogitemus an Christus iure non possit exprobrare nobis, *sic non potuistis una hora vigilare mecum*? Matth. 26. . . . *VOL.* Pudeat nos; id vero saltem agamus ut dicere possimus, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*: Ps. 62. . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* A Christo ligato oculos non avertamus. . . *INTEL.* Ratiocinemur Divinitatem etiam esse quasi ligatam; adeo se non exerit: ex quo cognoscimus *constantiam* Christi in suscepto *labore*, cum possit se momento eximere . . . *REFL.* Nos vero *labores*, et *dolores statim* conamur excutere . . . *VOL.* Revera ignavi milites sumus, et inconstantes sub vexillo Regis tam fortis: aspiremus ad donum *fortitudinis*, et *constantiae* in sequendo Christo; etiamsi possimus interdum nos ipsos liberare, si modo sit maior aut aequalis eius gloria sic permanere . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Puncta praecedentia simul revocemus in memoriam . . . *INTEL.* Tum consideremus Christum tamquam Regem, et homines fideles tamquam milites sub vexillo eius merentes: et inquiramus *quid deceat* milites tales *agere* aut *pati*? . . . *REFL.* Concludamus nihil decentius, nihil melius, nihil quod tanto amoris beneficio a Rege Deo in nos collato aptius respondeat, excogitari posse, quam *tertium modum humilitatis* . . . *VOL.* In-

tertium igitur *humilitatis modum* totos nos non tantum in una meditatione, sed in pluribus, atque adeo quamdiu vivimus, effundamus: nihil enim perfectius inveniri potest . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XII.

De gestis postea in domo Caiphae. Matth. 26.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 282.)

CONGR. Delibare instantem meditationem.

PRAEL. I. Quomodo Christus illa nocte fuerit colaphis caesus, et oculi eius velati.

PRAEL. II. Locum illum in domo Caiphae intueri.

PRAEL. III. Petere gratiam *tertii modi humilitatis*, nominatim in *opprobriis*.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM. Coeperunt . . . velare faciem eius*, Marc. 14. *Et velaverunt eum*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Contemplemur ergo Christum habentem oculos velatos: idque ideo quia homines habent oculos nimis *apertos ad res vanas et temporales*, quibus mens abstrahitur a suo Creatore . . . *REFL.* Idcirco nobis in Hebd. 1. addit. 7. bene praescribitur, ut nos privemus omni *lucis claritate*, ut oculos *mentis* ad haec Mysteria magis aperiamus . . . *VOL.* O Deus, *averte oculos meos, ne videant vanitatem*, Ps. 118; Sed sint *oculi mei semper ad Dominum*, Ps. 24. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus *dicentes: prophetiza, quis est qui te percussit? et alia multa blasphemantes dicebant in eum*, Luc. 22. . . . *INTEL.* Sive personas blasphemantes, sive eum in quem blasphemia fertur, sive ipsam blasphemiam consideremus, *atrocissimae sunt iniuriae* . . . *REFL.* Cogitemus quam procul absimus a proxima Christi imitatione; propter

Christum vix ullum *iniuriosum verbum* unquam pertulimus . . . *VOL.* Offeramus nos, imo desideremus Christo in similibus saltem aliquatenus fieri similes . . .

PVNCT. III. — OPERA — *MEM. Tunc expuerunt in faciem eius, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem eius dederunt*, Matth. 26. . . *INTEL.* Audivimus verba iniuriosa: nunc intuemur *opera iniuriosa*; ex quibus concludere possumus, quod illa fuerit nox, de qua praedictum fuit, quod Christus *saturabitur opprobriis*, Thren. 3. . . . *REFL.* Comparemus quidquid *opere* nobis *iniuriae* illatum est cum hisce *opprobriis*, et *iniuriis* . . . *VOL.* Pudeat nos quod ex charitate erga Christum tam pauca passi sumus, idque animo tam reluctante: statuamus nos in *tertia hominum classe;* neque Christum *verbis* tantum, sed ipso etiam *opere* sequi statuamus in *ferendis iniuriis.*

PVNCT. IV. — QVID PATIATVR. — *MEM.* Repraesentemus nobis simul et vincula, et blasphemias, et iniurias, quas Christus illa nocte passus est . . . *INTEL.* Ratiocinemur quod sine *commiserationis affectu* in quovis homine haec videri vix possint a quocumque, qui omnis humanitatis expers non est . . . *REFL.* Cogitemus deinde qualis sit Christus qui patitur; quales illi a quibus patitur; quales nos pro quibus patitur . . . *VOL.* Accusemus *duritiem* cordis nostri; oremus Deum, ut fiat quod ipse dixit Exech. 36. *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum* . . .

PVNCT. V. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* Cogitemus haec omnia patrari ab illis blasphemis, nemine impediente . . . *INTEL.* Sic Divinitas se abscondit, ut Christus *patiatur*, prout praedictum fuit in Scripturis . . . *REFL.* Meminerimus etiam nobis a Christo praedictum esse, *si me persecuti sunt, et vos persequentur.* Ioan. 15. Neque adeo mirum esse, si in *persecutione* nostra Divinitas se etiam quasi abscondat . . .

VOL. In adversis, in persecutionibus, in iniuriis offeramus nos totos *Divinae providentiae;* nec statuamus ei *tempus* liberationis nostrae . . .

PVNCT. V. — Qvid nos. — *MEM.* Iterum uno quasi aspectu totam Mysterii huius passionem intueamur . . . *INTEL.* Perpendamus illud, Isa. 53.: *Attritus est propter scelera nostra . . . REFL.* Propria nostra scelera hic recenseamus, ob quae Christus ita attritus fuit . . . *VOL.* *Contritionem* de omnibus excitemus, et ex *amore* erga Christum amplectamur *tertium humilitatis modum;* et optemus participes fieri tam laboriosae noctis . . .

COL. *Tertii gradus humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XIII.

De Christi apud Pilatum accusatione.

Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. et Ioan. 18.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 282.)

CONGR. More consueto.

PRAEL. I. Coram Pilato accusatur falso quod subverteret gentem, et prohiberet tributa solvi Caesari.

PRAEL. II. Aspicere domum Pilati, ubi haec gerebantur.

PRAEL. III. Petere gratiam *ex amore Christi patiendi accusationes etiam falsas.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspiciamus Iesum stantem vinctum coram Praeside Pilato . . . *INTEL.* Hactenus Christus comparuit coram iudicibus Ecclesiasticis, nunc coram saeculari et Gentili; sed eodem tempore spectaculum erat Angelis, et toti curiae coelesti . . . *REFL.* Sic nos dum expositi stamus iudiciis hominum memores debemus esse, quod simus magis expositi iudicio *Dei, et Coelitum . . . VOL.* Dum sta-

mus expositi hominum iudiciis, convertamus oculos mentis ad coeleste illud Tribunal, et dicamus: *Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuste, et probas renes et corda*, Ierem. 11.; et sic non curemus iudicia hominum ex *amore* eius, qui *tradebat . . . iudicanti se iniuste*, 1. Petr. 2. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Caesari*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Expendamus falsitatem huius calumniae: *Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius*, Eccl. 7. Sed non conturbabat Christum, quia requiescebat super illum *Spiritus Domini* . . . *REFL.* Nos tam facile turbamur, quia statim deficit in nobis *Spiritus sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis*, etc. . . . *VOL.* Fateamur caecitatem et infirmitatem nostram: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, Ps. 6. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et confestim mane . . . vincientes Iesum duxerunt et tradiderunt Pilato*, Marc. 15. . . *INTEL.* Vere dicitur de illis Iudaeis: *Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*; Ps. 13. *REFL.* Iudaei illi diligentiores, velociores, magis matutini erant ad exequenda opera *mala*, quam nos ad *bona* . . . *VOL.* Pudeat nos tantae socordiae; excutiamus illam ignaviam. *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo*, Ps. 62. . . .

PVNCT. IV. — QVID PATIATVR. — *MEM.* Meminerimus viae ex domo Caiphae ad praetorium Pilati; et eorum quae Christus in ea passus est, nominatim *calumniae* coram Pilato . . . *INTEL.* Coram Caipha traducitur tamquam *blasphemus*; coram Pilato tamquam *seditiosus* . . . *REFL.* Nos toties dicimus, quod proxime velimus premere *vestigia* Regis nostri; interea omittimus obsequia ipsius ex *timore minimae* interdum *calumniae* . . . *VOL.* Agnoscamus nos haerere in *prima*, vel *secunda hominum classe*; sed ad *tertiam*

ascendamus; et gratias Deo agamus, quando cum Rege nostro reipsa possumus aliquid *convitii* et *calumniae* pati . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Circumspiciamus an ullum appareat exterius signum in tam sceleratos? . . . *INTEL.* Adeo se occultabat Divinitas, ut ipsa quoque humanitas omitteret *defensionem* omnem: nam Christus *cum accusaretur* ... *nihil respondit*, Matt. 27. . . . Nos vero ad minimam accusationem tam effusi sumus ad *respondendum* . . . *VOL.* Dicamus coram Deo culpam nostram: et dum accusamur deinceps memores simus huius *silentii* Christi; et illud quantum possumus *imitemur* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Recenseamus et revolvamus calumnias et convitia, quae Christus passus est in hoc mysterio . . . *INTEL.* Ratiocinemur causam, cur illa passus sit, fuisse misericordiam eius, *quoniam Deus prior dilexit nos*, 1. Ioan. 4. . . . *REFL.* Hinc concludamus qualis debeat esse *reciproca dilectio* nostra; et cogitemus qualis fuerit . . . *VOL.* Excitemus actum *perfectae contritionis*, et sic effundamus nos in affectus *tertii modi humilitatis* . . .

COL. De *tertio gradu humilitatis*: nominatim animum advertendo ad *convitia et calumnias* . . . (Lib. Exerc. pag. 165.)

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIV.

De Christi apud Pilatum accusatione.

Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. et Ioan. 18.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 283.)

CONGR. Cogitatione passionem Christi delibare.

PRAEL. I. Quomodo Pilatus testatus sit Christi innocentiam.

PRAEL. II. Aspicere praetorium Pilati.

PRAEL. III. Petere gratiam *sequendi Christum in opprobriis, nulla data a nobis causa.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus, dum Iesus staret ante Praesidem, Iudaeos stantes foris: *Ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, Ioan. 18. *INTEL.* Bene dictum fuit illis Matth. 23. *Vos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate;* nam pleni erant *invidia et odio* erga Christum . . . *REFL.* Examinemus an simile quid inveniatur in nobis? . . . *VOL.* Salutarem timorem huius *vitii* concipiamus coram Deo, qui est *scrutans corda et renes*, Ps. 7. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Pilatus dixit Iudaeis: *Ego nullam invenio in eo causam*, Ioan. 18. . . . *INTEL.* Revera Christus nullam *mortis*, nullam *odii* in se *causam* dederat . . . *REFL.* Hinc discamus nullam *contemptui* de nobis, etc. dandam esse *causam*, *ne contemptus mei tam in alicuius detrimentum, quam in offensam Dei cedat* (Lib. Exerc. pag. 151.) . . . *VOL.* Ita deinceps vivamus, ut semper de nobis dici possit, praesertim in hora mortis a Iudice supremo: *Ego nullam invenio in eo causam:* et iuxta reg. Summ. 11. optemus *contemptum*, etc. *nulla tamen ad id* . . . *data occasione* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Dixit ei Pilatus: quid est veritas? et cum hoc dixisset iterum exivit*, Ioan. 18. . . . *INTEL.* Sic multi ne audiant veritatem, exeunt ad vana et mundana, de quibus dicit Apostolus 2. Tim. 4. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* . . . *REFL.* Tales sunt qui pertinent ad *secundam classem* hominum . . . *VOL.* Stabiliamus nos in *tertia* hominum *classe*; imo ascendamus ad *tertium humilitatis gradum* . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Audiamus hinc Pilatum innocentiam Christi testantem: inde Iudaeos pertinaciter accusantes . . . *INTEL.* Perpendamus ex circumstantiis indignitatem huius rei, et quantum *doloris sensum* Christo debuerit afferre. *Calumnia conturbat sapientem*, Eccl. 7. . . . *REFL.* Hinc patet

quam sequamur Christum a longe, qui tam deiecto sumus animo dum talis nobis *iniuria* accidit. . *VOL.* Ferventius igitur renovemus affectus *tertii gradus humilitatis* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Pilato respondit *Iesus: non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, Ioan. 19. . . *INTEL.* En ut Divinitas non tantum se quasi abscondat ne *liberet* Christum, sed ut etiam *potestatem* adversus Christum det Praesidi ad eum condemnandum . . . *REFL.* Nos vero etiam iustorum iudicum potestati vellemus nos eripere . . . *VOL.* Sequamur Apostoli monitionem: *Admone illos*, inquit, *principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obedire*, etc. Tit. 3. Studeamus *humili obedientiae* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Iterum iniquitatem Iudaeorum contra Christum nobis ob oculos ponamus . . . *INTEL.* Christus illas iniurias passus est propter iniquitatem nostram, propter detractiones et calumnias quibus proximos afficimus etc. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, Isa. 53. . . *REFL.* Iustum et dignum est nos potius *talia pati* qui sumus *nocentes* . . . *VOL.* Praemissa vera *contritione*, etiam *exteriori poenitentia* ostendamus nos pro Christo, et pro peccatis nostris talia velle pati cum eadem *humilitate* . . .

COL. De *tribus modis humilitatis* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XV.

De Christi apud Pilatum accusatione,
Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. Ioan. 18.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 283.)

CONGR. Ordinaria.

PRAEL. I. Quomodo Christus Barabbae fuerit postpositus.

PRAEL. II. Videre locum praetorii ubi Christus Barabbae comparatus fuit.

PRAEL. III. Petere gratiam *in omnibus eligendi iuxta tertium humilitatis modum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur Christum iunctum Barabbae, cum eoque populo propositum . . . *INTEL.* Sic impletum est illud Isa. 53. *Et cum sceleratis reputatus est . . . REFL.* Cogitemus quam grave nobis accidat, si cum *inferioris conditionis homine* comparemur . . . *VOL.* Postquam vidimus Christum *comparatum* latroni, etiam offeramus nos ad ferendum cum Christo talem *contemptum . . .*

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Iudaeos *dicentes; non hunc, sed Barabbam,* Ioan. 18. . . *INTEL.* En Christum non modo *aequiparatum*, sed communi voce populi *postpositum* Barabbae . . . *REFL.* Hic memores simus contemplationis *Regni Christi* (Lib. Exerc. pag. 115.); quod in eisdem cum ipso *casibus* debeamus esse, si velimus *ipsum sequi . . . VOL. En o Rex supreme,* etc. hoc est *meum certissimum decretum quam possim proxime te sequi in ferendis iniuriis* (Ibid. pag. 117.). Tecum volo omnibus *postponi*, et opto ut omnes me aspiciant tamquam *despectum*, *et novissimum virorum,* Isa. 53. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis,* Marc. 15. . . . *INTEL.* Ad tam sceleratam concitationem turbae Pontifices adducti sunt per capitale

peccatum *invidiae*. Pilatus *sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes*. Marc. 15. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius*, Sap. 2. . . . *REFL.* Pontifices illi erant ex parte, et sub *vexillo diaboli*; ideo agebant ut mors ipsius Christi introiret in orbem . . . *VOL.* Nos vitio illi pessimo *invidiae*, quod oritur ex *tribus illis tentationum gradibus* (Lib. Exerc. pag. 148.); potissimum vero ex *superbia*, opponamus *tres perfectionis gradus*, praesertim *humilitatem* (Ibid. pag. 151.) . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Audiamus clamorem populi: *Non hunc, sed Barabbam*, Ioan. 18. . . . *INTEL.* Voces hae non poterant non intime Christum pungere, nam vere erant quasi *gladius in labiis eorum*, Ps. 58. . . *REFL.* Duro corde sit oportet, qui videt Regem suum ita afflictum, et non moveatur . . . *VOL.* Excitemus nos ad affectum *compassionis*, et ad *similia* quoque cum ipso *patiendum* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius dicens: nihil tibi, et iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eum*, Matth. 27. . . *INTEL.* Divinitas abscondit se, et laxat quodammodo habenas doloribus Christi, et interea se exerit pungendo conscientiam Iudicis Pilati . . . *REFL.* Ille est mos spiritus boni *pungere conscientiam* assidue illorum, qui *male* agunt: interea tamen non liberavit Christum, sed *Dominus voluit conterere eum in infirmitate*, Isa. 53. . . *VOL.* Oremus Deum ut nos similiter *pungat*, dum *male* agimus. *Confige timore tuo carnes meas; a iudiciis enim tuis timui*, Ps. 118. Simul cum Ecclesia oremus, *ut et patientiae ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Iterum intueamur concitationem populi clamantis, *non hunc, sed Barabbam* . . *INTEL.* Causa cur Christus a populo eligente Barabbam tam indigna passus est, sunt per-

versae electiones, quae passim in mundo fiunt ... *REFL.* Examinemus iuxta regulas et instructiones de *electione* (Lib. Exerc. pag. 170. et seqq.) electiones nostras ... *VOL.* Statuamus diligenter studere toti illi argumento de *electione*; ne passione, et humanis rationibus abrepti *eligamus* Barabbam prae Christo ...

COL. Quibus petamus gratiam in omnibus *recte eligendi*.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVI.

De transmisso Christo ad Herodem, Luc. 23.

Myst. puncti. 1. (Lib. Exerc. pag. 283.)

CONGR. Christi passioni condolere.

PRAEL. I. Quomodo Pilatus transmiserit Christum ad Herodem.

PRAEL. II. Aspicere viam ad Palatium Herodis.

PRAEL. III. Petere *dolorem de peccatis*, et *compassionem erga Christum*.

PVNGT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Pilatus aestimans quod *homo Galilaeus esset*, Luc. 23. ... *INTEL.* Consideremus quam caece Pilatus aliique iudicaverint de persona Christi: Pilatus tantummodo *interrogavit si homo, et homo Galilaeus esset*? Nihil plus in Christo videbat ... *REFL.* Hinc discamus illud Rom. 8.: *Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt.* Ideo Pilatus non sentiebat plus quam hominem, et Galilaeum ... *VOL.* Nos vero secundum *spiritum sentiamus*; et insuper confiteamur, *quia tu es Christus Filius Dei vivi*, Ioan. 11.; tu es Imperator meus, Rex meus, Dux meus, Dominus meus, Deus et Creator meus ...

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Contemplemur Christum in via ad Herodem, et comitantes cum militibus Pontifices et Sacerdotes ... *INTEL.* Credibile est

Christum Patri suo tunc dixisse: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, Ps. 21.; vituli et tauri bene pasti a *mundanis commoditatibus*, ferocientes contra me . . . *REFL.* Inter tales necesse est habitare iustos quamdiu sunt in corpore. *Considerat peccator iustum, et quaerit mortificare eum*. Ps. 36. . . *VOL.* Quando videmus nos cinctos talibus, oremus, *ab homine iniquo et doloso erue me*, Ps. 42. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Pilatus . . . remisit eum ad Herodem*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Pilatus agnoscebat Christum esse *innocentem*; et deserit causam eius, et in alium conatur eam transferre . . . *REFL.* Sic per ignaviam, vel alia ex causa *innocentes* saepe non defenduntur . . . *VOL.* Dum agitur de causa alicuius *innocentis* bene nobis proponamus *regulas eligendi*, et petamus a Deo lumen, et fortitudinem . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Comitemus et nos Christum, dum ducitur ad Herodem per 350 gressus iuxta Adrichomium . . . *INTEL.* Inspiciamus et audiamus opprobria, quae passus est in via a populo accurrente; nam adolescebat dies, idque postquam tota nocte vinctus et cruciatus fuerat . . . *REFL.* Si Christus sit Rex noster, nos quoque decet in eiusmodi *vigiliis, casibus, et laboribus* eum sequi. . . *VOL.* *En o Rex supreme, etc.*, volo *quam proxime te sequi in ferendis iniuriis* etc. (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Oculos convertamus ad coelum . . . *INTEL.* Vidit Pater cum tota coelesti aula hanc luctuosam viam; et tamen nihil inde auxilii . . . *REFL.* *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit*, Isa. 53.; ideo sine ullo auxilio tam luctuosam viam obivit Christus. . . *VOL.* Renovemus ea, quae apud animum proposuimus in meditatione *Fundamenti* (Lib. Exerc. pag. 71.) . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Cogitemus causam cur tanta Christus passus sit hactenus in hisce mysteriis? . . . *INTEL.* Causam dat Isaias cap. 53.

Attritus est propter scelera nostra . . . *REFL.* Recenseamus scelera et peccata nostra . . . *VOL.* Excitemus affectus proprios *primae Hebdomadae.*

COL. Triplex *Hebdomadae primae* (Lib. Exerc. pag. 97.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XVII.

De transmisso Christo ad Herodem. Luc. 23.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 284.)

CONGR. Sicut in hac hebdomada.

PRAEL. I. Quomodo Christus Herodi petenti curiosa nihil responderit, quamvis accusaretur.

PRAEL. II. Aspicere palatium Herodis.

PRAEL. III. Petere gratiam *compatiendi et condolendi Christo, eumque imitandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus Christum in aula Herodis stantem ante ipsum . . . *INTEL.* Christus primum stetit coram iudice Ecclesiastico, deïn coram Gentili, nunc coram Iudaeo saeculari . . . *REFL.* Sic iusti expositi sunt omnium *iudiciis*, praesertim si vitam agant *Apostolicam* . . . *VOL.* Nos vero ideo ne minimum quidem declinemus ab obsequio Dei: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die*, 1. Cor. 4. *Ne timeas a facie eorum*, Ierem. 1. . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Herodes *interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil ipsi respondebat*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Christus noverat intima Herodis, et quod sermones illius non procederent nisi ex *vana curiositate* . . . *REFL.* Hinc discimus *silentium* opponendum esse aulicis, mundanis, et inutilibus sermonibus . . . *VOL.* Nos igitur exemplo Christi agamus et dicamus cum Propheta; *Loquuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur: Ego autem tamquam surdus non audiebam; et sicut mutus non aperiens os suum;* Ps. 37. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Herodes *sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Luc. 23. . . . *INTEL.* Christus sicut ad inanes Herodis interrogationes *silentium* reposuit; sic ad curiosam eius spem signa et miracula cohibet. Noverat quomodo in ipso praedominaretur *carnis, sensuum, amorisque proprii ac mundani* rebellio . . . *REFL.* Nimirum hominibus carnalibus, superbis, et vexillo diaboli omnino deditis *sacra mysteria* obiicienda non sunt, quamdiu non sunt *dispositi*, neque spes est ut *disponantur*. . . . *VOL.* Nos igitur sequamur id quod Christus nunc exemplo, et antea verbo docuerat. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos*, Matth. 7. . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Videamus Christum coram Herode stantem . . . *INTEL.* Sicut gratum est iusto esse *in consilio iustorum, et congregatione*, Ps. 110., sic Christo magnum *patientiae exercitium* fuit esse in praesentia Herodis adulteri, et homicidae sancti Ioannis Baptistae. . . *REFL.* Nos quoque decet Christi *patientiam in silentio et modestia* imitari, dum contingit nos esse in consortio malevolorum . . . *VOL.* Compatiamur Christo, idque opere ipso, coniungendo *patientiam* nostram cum ipsius, dum versamur inter adversarios. *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam*, Ps. 108. . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Revocemus in memoriam silentium illud, et modestiam Christi . . . *INTEL.* Non tantum Divinitas videtur hic *abscondita*: sed ipsa quoque humanitas apparet quasi *impotens* ad loquendum et agendum quidpiam in sui defensionem . . . *REFL.* Hinc discimus, quod sicut Christus *oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum*, Isa. 53.; sic nos quoque libera voluntate nostra debeamus nos offerre pro Christo . . . *VOL.* Optemus et oremus Deum, ut Christi hoc exemplum nos *moveat*, sicut *movit* innumeros Martyres . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS. — *MEM.* Consideremus qua ratione Christus in aula Herodis inventus sit cum tanta patientia . . . *INTEL.* Christus in praedicatione non concursavit per aulas, nec quaesivit aulas ubi non erant homines dispositi ad capiendam *Sapientiam* coelestem: ivit tamen ad convivia etiam praecipuorum invitatus, et quando *occasio* erat proximos *iuvandi*. Sed ad aulas alias in vinculis ductus est, et multa patiens . . . *REFL.* Haec omnia propter *vanam*, et *mundanam* nostram conversationem corrigendam . . . *VOL.* *Evangelizare pauperibus misit me*, dicamus cum Christo, Luc. 4.; et in aliis nil nisi Dei *gloriam*, et proximi *salutem* spectemus . . .

COL. Petendo, ut Christum *imitari* possimus, et cum illo *modestiam et patientiam* in omnibus sectari . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVIII.

De transmisso Christo ad Herodem. Luc. 23.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 284.)

CONGR. Condolere Christo contempto et illuso.

PRAEL. I. Quomodo Christus ab Herode spretus fuerit, et alba veste indutus.

PRAEL. II. Constituere se praesentem huic spectaculo.

PRAEL. III. Petere gratiam *tertii modi humilitatis.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus aulam Herodis, et in ea Christum . . . *INTEL.* Videamus Herodem cum exercitu suo militantem sub vexillo Luciferi, in cathedra *superbiae* sedentem; plenum *fumo vanitatis*, homicidam et adulterum terribilem: Christum vero *humili constitutum loco*, sed *speciosum* figura inter tot *opprobria*, et *vultu* valde *amabili* . . . *REFL.* Eligendum est alterutrum vexillum: *Nemo po-*

test duobus dominis servire, Matth. 6. . . . *VOL.* Toto corde detestemur *vexillum diaboli*, mores pessimos Herodis, et amplectamur *Christi vexillum* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Attendamus animum ad sermones, qui ibi habentur . . . *INTEL.* Sermones Herodis et aulicorum erant pleni contemptus et vituperii, *deridetur enim iusti simplicitas*, Iob. 12. Christus vero Patri suo, et nobis tacite loquitur: *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die*, Thren. 3. . . . *REFL.* Si elegerimus *Christi vexillum*, debemus propter Christum etiam lubenter *derideri* . . . *VOL.* Memores simus Christi sic *derisi*, dum propter *virtutem irridemur et contemnimur*. Veniet tempus, quando derisores illi cum Herode et aulicis ipsius dicent: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum . . . Nos insensati* etc. Sap. 5. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Sic tamquam stultum Herodes cum suis Christum sprevit . . . *REFL.* Haec est *vestis* Regis nostri: haec sunt *insignia* eius, quibus debemus *indui* . . . *VOL.* Exerceamus nos in *tertio modo humilitatis*. *Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum*, 1. Cor. 3. . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Convertamus nos ad Christum alba veste indutum et illusum . . . *INTEL.* Merito Isaias describit Christum *despectum et novissimum virorum*. Cap. 53. Nam in genere contemptus *sapientia* Christi non potuit plus pati, quam testimonium *stultitiae* . . . *REFL.* Comparemus quidquid passi fuimus *vituperii* cum hoc Christi *despectu* . . . *VOL.* Si amemus Christum Regem nostrum, tangamur *commiseratione et compassione*, et optemus cum ipso socii esse in tali *vituperio* propter *iustitiam*.

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Videamus Deum Patrem et aulam coelestem spectantem hanc Christi *irrisionem* . . . *INTEL.* Ibi in coelo iudicatur Herodes cum suis, ut stultus: et quam verum sit

iudicium illud coeleste, agnoscent omnes qui sequuntur Herodem quando clamabunt: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam* etc. Sap. 5. Attamen coelum videtur clausum, nec Divinitas ullum *solatium* permittit . . . *REFL.* Non mirum, si nobis quoque in desolationibus videatur interdum coelum quasi *claudi* . . . *VOL.* Quando dicimus ad eum: *Quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* non dicamus id *conquerendo* (nam memores esse debemus huius Christi *desolationis* in tanto *contemptu*) sed sicut sequitur, petendo humiliter auxilium: *Emitte lucem tuam*, etc. Ps. 42. . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS. — *MEM.* Ad idem spectaculum Christi illusi nos iterum convertamus . . . *INTEL.* Peccata *superbiae* hominum causa fuere, cur Deus in tanto *contemptu proprio Filio non pepercit*, Rom. 8. . . . *REFL.* Scrutemur nos ipsos; et recenseamus cogitationes, verba, et opera *superbiae* nostrae . . . *VOL.* Excitemus *contritionem* de illis peccatis ex amore erga Christum, qui propter nos tanta passus est; et renovemus *tertium humilitatis modum*.

COL. Quibus petamus *gratiam magnam* Dei. Nam postquam *sexcenties* renovaverimus affectum *tertii modi humilitatis*, dum eius exercendi erit *occasio*, sentiemus *infirmitatem* nostram. Ita radicatum est *illud vitium* capitale in homine.

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XIX.

De reversione ab Herode ad Pilatum.
Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Ioan. 19.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 284.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo reverso Christo ad Pilatum, amici facti sint Herodes et Pilatus.

PRAEL. II. Respicere viam reversionis.

PRAEL. III. Petere gratiam *constanter sequendi vestigia Christi in hoc mysterio.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Spectemus Christum regredientem ad Pilatum . . . *INTEL.* Iam die provecta ad meridiem redintegrantur, et a maiori plebis multitudine multiplicantur *opprobria.* Consideremus igitur in Christo *patientiam, mansuetudinem, longanimitatem* . . . *REFL.* Nos vero in *minimis rebus adversis* animo cadimus, irascimur, et *patientiae* virtutem amittimus . . . *VOL. Tu es patientia mea, Domine,* Ps. 70. Nam per passionem tuam me illam docuisti, et mihi illam meritus es. Idcirco toto corde volumus *illam imitari.*

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audire loquentes Scribas et Pharisaeos comitantes, inter se et cum plebe . . . *INTEL.* Voces eorum sunt descriptae, Prov. 1. *Veni nobiscum; insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra; deglutiamus eum quasi infernus viventem*, etc. . . . *REFL.* Cum dux impiorum sit horribilis figura vultuque terribilis, non mirum est, si ab illo eiusque ministris voces eiusmodi crudeles contra insontes profluant . . . *VOL.* Nos vero contra eiusmodi terrores *patientiam* Christi opponamus, et simus animo forti, *corde imperterrito, ac fronte ardua* iuxta regulas de disc. spir.; *et a verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus et vermis: hodie extollitur, et cras non invenietur*, etc. 1. Mach. 2. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Herodes Christum remisit ad Pilatum, et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Interea manebant inimici Deo propter idololatriam, adulteria, etc. *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse saeculi huius, inimicus Dei constituitur*, Iacob. 4. . . . *REFL.* Concludamus neminem fore *sanae mentis*, qui amicitiam Dei *postponat* amicitiae huius saeculi . . . *VOL.*

Renovemus affectum in *Hebdomada prima* conceptum, ac *perspecta et damnata mundi pravitate*; *nosmetipsos secundum Deum recte ordinemus.* (Lib. Exerc. pag. 97.) . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Oculos iterum ad reditum illum Christi ad Pilatum convertamus . . . *INTEL.* Christus poterat dicere Patri suo : *Die ac nocte gravata est super me manus tua*, Ps. 31. Nam tota nocte in domo Caiphae, et nunc interdiu tanta patitur . . . *REFL.* Cogitemus quanta sit *ignavia* nostra, si Regem nostrum in tam *acerbo casu* deseramus . . . *VOL. En o Rex supreme*, etc., volumus *quam proxime te sequi in ferendis iniuriis, et adversis omnibus*, etc. (Lib. Exerc. pag. 112.) . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christum inter tot adversa attentius contemplemur . . . *INTEL.* Et miracula et verba hic desunt, quibus omnia ista momento avertere poterat. Sed voluit non tantum per Prophetas *verbis* praedicere suam passionem ; sed etiam *opere* ipso implere . . . *REFL.* Concludamus hoc esse exemplum *tertiae* hominum *classis* . . . *VOL.* Firmemus nos in *tertia* hominum *classe* ; et consentaneos affectus eliciamus . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos — *MEM.* Haereamus oculis mentis fixi in Christo . . . *INTEL.* Omnia haec tolerat *propter nos homines*, *et propter nostram salutem*, et propter peccata nostra. *Disciplina pacis nostrae super eum*, Isai. 53. . . . *REFL.* Interrogemus nos ipsos ; quid nos conveniat facere? . . . *VOL.* Effundamus nos totos in affectus *Hebdomadae primae* ; *et in perfectam contritionem.*

COL. Desumatur ex *Hebdomada prima.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XX.

De reversione ab Herode ad Pilatum;
Matth. 27., Luc. 23., Marc. 15. et Ioan. 19.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 285.)

CONGR. Indulgere affectui commiserationis erga Christum.

PRAEL. I. Quomodo Christus fuerit flagellatus, spinis coronatus, et colaphis caesus.

PRAEL. II. Videre praetorium Pilati, ubi haec fiebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *intime cognoscendi tormenta Christi, et cum ipso patiendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Ingrediamur mente praetorium Pilati, et aspiciamus Iesum in flagella paratum, et columnae alligatum . . . *INTEL.* Perpendamus quanta fuerit illa *ignominia*; more sceleratorum alligari columnae, nudari, ad flagella damnatum esse, et ut talem aliorum oculis exponi. Haec maxima esset *ignominia*, quamvis *flagellatio* secuta non fuisset . . . *REFL.* Haec sunt *opprobria et vituperia*, quae Christus exemplo suo nos docuit etiam *ambire*, quando pro *ipsius obsequio* ita conveniret . . . *VOL.* Nos imitemur Apostolos, qui hoc Christi exemplo excitati *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, Act. 5. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Arrigamus aures, et pro verbis audiamus ictus et verbera flagellorum . . . *INTEL.* Haec est *vox flagelli*, sicut loquitur Nahum cap. 3. . . . *REFL.* Perpendamus quod Christus hic dederit nobis exemplum patiendi dolores et cruciatus in *corpore et morbos* etiam *acutos* tolerandi . . . *VOL.* Sequamur hoc Christi exemplum, et *vox flagelli* audiatur etiam apud nos; dicamusque, *quoniam ego in flagella paratus sum*, Ps. 37. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum*, Ioan. 19. *Posuerunt... arundinem in dextera eius; et genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: ave, Rex Iudaeorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput eius*, Matth. 27. *Et dabant ei alapas*, Ioan. 19. ... *INTEL.* Non opus magna ratiocinatione, singula inspicienda modo sunt ... *REFL.* Quam haec sunt omnia contraria *carnis, sensuum, et amoris proprii, mundanique* operibus! ... *VOL.* Nos genu flexo ante Regem nostrum sic coronatum adoremus eum, et cum Ecclesia dicamus: *Tu Rex gloriae Christe; tu Patris sempiternus es Filius, etc.*

PVNCT. IV. — Quid patiatur. — *MEM.* Haereamus mente in spectaculo isto ... *INTEL.* Percurramus quatuor illa nobis in *Fundamento* proposita. Quantum Christus patiatur in *vita brevi*: nam haec omnia erant praeludia ad *mortem* crucis: quantum in *aegritudine et doloribus*: quantum in *paupertate*, spoliatus omnibus, etiam amicis: quantum in *contemptu et in opprobriis* ... *REFL.* Post haec cogitemus quam procul absimus a *vestigiis* illis Regis nostri ... *VOL.* Offeramus nos paratos, ut *quatuor illis modis patiendi* Christum *proxime* sequamur.

PVNCT. V. — Quid Divinitas. — *MEM.* Inter haec convertamus oculos ad Aulam coelestem ... *INTEL.* Manet etiamnum Divinitas immota: nam *Dominus voluit conterere eum in infirmitate*, Isa. 53. Needum inter tam atrocia *satis contritus est* ... *REFL.* Post haec nobis lubet manere in *prima* vel *secunda* hominum *classe*! ... *VOL.* Ascendamus ad *tertiam classem*, et opere ipso *conteramus* nos. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies*, Ps. 50. ...

PVNCT. VI. — Quid nos. — *MEM.* Cogitemus causam tam immanium cruciatuum ... *INTEL.* Causa est *quia posuit Dominus in eo iniquitatem omnium no-*

strum, Isa. 53. . . . *REFL.* Concludamus quod nostrae partes sint *deplorare peccata nostra*, et propter illa nos *conterere* . . . *VOL.* Recitemus hic Psal. 50. *Miserere mei Deus etc.*

COL. Ex *Hebdomada prima* . . .
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXI.

De reversione ab Herode ad Pilatum.
Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Ioan. 19.
Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 285.)

CONGR. Cum Christo dolere, et pati . . .

PRAEL. I. Quomodo Christus sic coronatus productus fuerit a Pilato, et populo exhibitus.

PRAEL. II. Respicere locum, in quo Christus spectandus stetit.

PRAEL. III. Petere *magnam gratiam Christi vestigia propius sequendi.* . .

PVNCT. I. — Personae — *MEM. Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Contemplemur Regem nostrum in propylaeo Praetorii stantem *in diademate, quo coronavit illum mater sua*; Cant. 3. Synagoga scilicet invidorum Iudaeorum. Hic si unquam alias, Christus est factus *spectaculum mundo*, *et Angelis*, *et hominibus*, 1. Cor. 4. Angelis ad *reverentiam et adorationem*: hominibus Iudaeis ad *scandalum*, et maiorem *invidiam* . . . *REFL.* Videamus Angelisne, an Iudaeis nos velimus iungere? . . . *VOL.* Nos ad illud spectaculum cum Angelis exerceamus affectus *admirationis adorationis et amoris* erga Deum et Dominum nostrum . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Pilatus *dixit eis*; *ecce Homo*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Ideo Christus, cum esset *Deus*, voluit proclamari a Pilato, *Homo*; ut doceret nos contemnere *vanos* mundi *titulos* . . .

REFL. Cogitemus quantos motus in animis hominum saepe faciant eiusmodi inanes tituli ... *VOL.* Ambiamus titulos veros. *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*, 2. Cor. 12. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*, Ps. 140. Omnes illi tituli sunt falsi, et procedunt a peccatoribus miseris ...

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Pilatus *dicit eis: ecce adduco eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam*, Io. 19. . . . *INTEL.* Quo magis quaerebat Pilatus dimittere eum eo magis Pontifices et ministri clamabant dicentes: *Crucifige, crucifige eum*, Ioan. 19. . . . *REFL.* Perpendamus quam sit perniciosum vitium illud capitale *invidia*. Pilatus *sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum*, Matth. 27. *Putredo ossium invidia*, Prov. 14. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*, Sap. 2. . . . *VOL.* Opponamus isti vitio in *superbia* radicato *tertium humilitatis modum* ... .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM. Exivit ergo Iesus portans coronam spineam*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Opprobria quae pertulit Christus intus in praetorio, spectabant ad *contumeliam* et *ignominiam* privatam: sed quando iam foras erumpunt et vagantur per populum, tunc fit *infamia*; sicut gloria est honor sive laus publica . . . *REFL.* Christus patitur hanc infamiam; nos interea nil nisi gloriam mundanam cogitamus . ... *VOL.* Iterum confugiamus ad *tertium humilitatis modum* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Iudaei *clamabant dicentes; Crucifige, crucifige eum*, Ioan. 19. . . *INTEL.* Clamores illi fieri non poterant sine concursu generali Dei; et tamen se non subtrahit Divinitas, sed permittit *tam infamia pati* humanitatem . . . *REFL.* Nos vero tam anxie conamur subtrahere omnes causas *contemptus* nostri ... *VOL.* Agnoscamus quantopere egeamus gratia Dei, ut *superbiam* nostram superemus . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS. — *MEM.* Cogitemus ea, quae Christus patitur in hoc mysterio . . . *INTEL.* Noster *amor proprius, et amor mundanus, et ambitio gloriae* causa fuere, cur Christus tanta passus sit . . . *REFL.* Recenseamus peccata nostra in *hoc genere* . . . *VOL.* Studeamus illa per poenitentiam *interiorem et exteriorem* delere iuxta addit. 10. Hebd. 1. . . .

COL. Conformia *Hebdomadae primae.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXII.

De condemnatione et crucifixione Iesu Christi, Io. 19.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 286.)

CONGR. Desiderium cum Christo amplectendi crucem.

PRAEL. I. Quomodo Pilatus Christum tradiderit ad crucifigendum.

PRAEL. II. Aspicere locum iudicii.

PRAEL. III. Petere gratiam *patienter cum Christo subeundi iudicia humana.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Pilatus *adduxit foras Iesum, et sedit pro tribunali*, Ioan. 19. . . *INTEL.* Aspiciamus Pilatum iudicem sedentem; Iudaeos actores et accusatores; Iesum inter illos stantem reum, sine ullo patrono aut advocato, cum *humili modestia et silentio* . . . *REFL.* Nos vero solemus iudicibus et Superioribus nostris *reluctari, male imprecari,* et proterve interdum *resistere* . . . *VOL.* Decernamus apud animum nostrum deinceps bene observare illud 1. Petri 2. *Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive Regi quasi praecellenti; sive Ducibus tamquam ab eo missis, etc.*; et cum magna *reverentia*, et humili *modestia* subeamus ipsorum iudicium, idque propter Deum . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices:*

non habemus Regem, nisi Caesarem, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Hic Iudaei negant palam Christum esse Regem; et malunt Caesarem agnoscere Regem, quam Christum . . . *REFL.* Absit, ut nos caecos illos et pertinaces Iudaeos sequamur . . . *VOL.* Nos igitur contra Iudaeos clamemus cum Ecclesia: *Tu Rex gloriae Christe etc.* Dicamus, *Tu es ipse Rex meus*, Ps. 43.: *En o Rex supreme ac Domine universorum*, etc. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Pilatus *accepta aqua, lavit manus coram populo dicens: innocens ego sum a sanguine Iusti huius; vos videritis: et respondens universus populus, dixit, sanguis eius super nos, et super filios nostros*, etc. Matth. 27. . . . *INTEL.* Pilatus tot modis declaraverat Iesum innocentem, et tot viis *quaerebat Pilatus dimittere eum*, Ioan. 19. Iam etiam eos terret dicendo, *vos videritis*. Nihilominus Iudaei Pilatum trahunt et pertrahunt ad iniustam sententiam; et sibi ipsis ac filiis suis vindictam innocentis sanguinis accersunt . . . *REFL.* Ratiocinemur quanta sit vis *invidiae et odii*, quando quis passionibus illis excaecatus est . . . *VOL.* Oremus cum Ecclesia; *ab ira, et odio, et omni mala voluntate libera nos, Domine* . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Convertamus oculos ad Christum iam morti adiudicatum . . . *INTEL.* Vere de hoc iudicio dicere possumus, sive iudices, sive accusatores, sive innocentissimum Iesum consideremus: *Vidi sub sole in loco iudicii impietatem, et in loco iustitiae iniquitatem*, Eccl. 3. . . . *REFL.* Hinc concludere licet, quantus inde Christo obortus sit doloris sensus. Nam *calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius*, Eccl. 7. . . . *VOL.* *Regem nostrum* agnovimus te, Christe; volumus *tecum pati*, quando id exigit *obsequium* tuum, *iniusta* hominum de nobis *iudicia* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Consideremus iterum omnes, quotquot huic sententiae iniustissimae participes fuere . . . *INTEL.* Ratiocinemur

quantas poenas meriti sint; et tamen is qui tot exempla severitatis exercuit, qui diluvio genus humanum quasi totum delevit, Sodomam et Gomorrham in cineres igne redegit etc., ille hic continet se, nec exerit potentem manum suam; sed quasi abscondit se . . . *REFL.* Et nos interea spiramus *vindictam* contra adversarios nostros . . . *VOL.* Clamemus potius cum Stephano: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum*, Act. 7. Sequamur Christum, *qui cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste*, 1. Pet. 2. . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS. — *MEM.* Recenseamus totum hoc mysterium . . . *INTEL.* Causam cur Christus tradiderit iudicanti se iniuste addit Apostolus Petrus: *Vt peccatis mortui iustitiae vivamus*, 1. Petr. 2. . . . *REFL.* Perpendamus quot nominibus incitemur et obligemur, ut *moriamur peccatis, et iustitiae vivamus* . . . *VOL.* Effundamus nos in affectus *Hebdomadae primae*.

COL. Affectibus illis conformia.
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXIII.

De condemnatione, et crucifixione Iesu Christi. Ioan. 19.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 287.)

CONGR. Parare se ad iter cum Christo in mortem Calvariae.

PRAEL. I. Quomodo Christus crucem suam baiulaverit, et Simon Cyrenaeus deinde eam post ipsum tulerit.

PRAEL. II. Videre viam ad montem Calvariae a praetorio Pilati.

PRAEL. III. Petere gratiam *Crucem cum Christo baiulandi*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Iesus *baiulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Aspiciamus Christum cruce oneratum, et simus memores verborum Isaiae 9.: *Filius datus est nobis, et factus est Principatus super humerum eius.* Nam per crucem expugnavit inimicos omnes, et obtinuit Principatum et Regnum . . . *REFL. Crux* quoque, si ea insigniti fuerimus, est tessera et signum, quod simus *veri milites* Christi . . . *VOL. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, etc. Gal. 6. . . .

PVNCT. II. — Verba — *MEM.* Audiamus Christum loquentem Luc. 14.: *Qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus* . . . *INTEL.* Illud quod Christus tunc dixerat, iam dicit et nobis ostendit exemplo . . . *REFL.* Exploremus et examinemus ad hanc Christi *sententiam* an simus eius discipuli? . . . *VOL.* Excitemus affectus contemplationis *Regni Christi*, nos totos illi devoventes tamquam Regi, Domino, et Magistro nostro.

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Simonem . . . angariaverunt, ut tolleret crucem eius*, Matth. 27. . . . *INTEL.* Hinc possumus intelligere quod Christus tulerit crucem usque ad *virium defectum*, ut necesse fuerit iuvari . . . *REFL.* Talis debet esse *constantia* nostra in ferenda cruce . . . *VOL.* Colligamus animos ad crucem ferendam *constanter* cum Christo; ipse adiutus fuit a Simone Cyrenaeo, nos vero *iuvabimur* ab ipso Christo . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Metiamur viam, quam Christus fecit a praetorio Pilati ad montem Calvariae . . . *INTEL.* Perpendamus *pondus crucis*, quam tulit donec a Simone iuvaretur: *exhaustas vires* vigiliis, flagellatione, coronatione, etc.; vincula, verbera, etc. *REFL.* Haec est *via crucis*, quam toties meditando elegimus . . . *VOL. Non poeniteat* nos electionis illius, sed *compatiamur* Christo; et verba illa alte

impressa sint cordi nostro. *In hoc enim vocati estis; quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius*, 1. Petri 2.; *vestigia*, inquam, in hac via ad montem Calvariae impressa . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Notemus quod Divinitas non magis se exeruit ad liberandum Christum, quam duos illos latrones: ita ut innocentissimus Iesus in eadem *quasi sorte* apud Deum cum *sceleratis* reputari videretur . . . *REFL.* Hinc non debemus nos quoque mirari, si videamus iustos interdum *eadem calamitate* cum impiis involvi. Deus mirabili iudicio id facit, ut *patientiam* et *merita* eorum magis coronet; sicut postea factum fuit Christo in resurrectione . . . *VOL. Domine* . . . *iudicia tua abyssus multa*, Ps. 35. Recordemur illius quod dicitur Eccl. 5.: *Si videris calumnias egenorum, et violenta iudicia, et subverti iustitiam in provincia*, (quae sane in condemnatione Christi magis quam alibi facta sunt) *non mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius*, etc. Excitemus fidem et spem futuri temporis, quo illi qui nos angustiaverunt; *turbabuntur timore horribili; et mirabuntur in subitatione insperatae salutis*, Sap. 5.: sicut in Christo factum fuit . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Aspiciamus Christum paulatim ad Calvariae montem accedentem . . . *INTEL.* Meminerimus prophetiae: *Sicut ovis ad occisionem ducetur*, Isa. 53.: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, ibid. . . . *REFL.* Quia nos declinavimus a via, quae ducit ad finem creationis nostrae, et convertimus nos ad peccata; ideo Christus sanguinolentam hanc crucis viam peregit, ut nos reduceret . . . *VOL. Erravi sicut ovis quae periit; quaere servum tuum, quia mandata tua*

non sum oblitus, Ps. 118.: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui*, ibid.

COL. Desumpta ex *Hebdomada prima.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIV.

De condemnatione, et crucifixione Iesu Christi. Ioan. 19.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 287.)

CONGR. Resumatur eadem.

PRAEL. I. Quomodo Christus inter duos latrones crucifixus sit.

PRAEL. II. Constituere se in monte Calvariae.

PRAEL. III. Petere gratiam *penitus intelligendi mysterium Crucis.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Christum in monte Calvariae inter satellites, et instrumenta necis iam paratum, ut crucifigatur . . . *INTEL.* Consideremus quod in statu rerum tam arduo, et tam fatali, maxime emicuerit id quod praedictum est Isa. 11.: *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini* . . . *REFL.* In nobis vero quoties arduum quid pro Deo adeundum est; et *consilium*, et *fortitudo*, et caetera omnia facile deficiunt . . . *VOL.* Petamus septem illa Spiritus Sancti *dona*, et exemplo Christi ad *crucem prompti simus* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Iudaei clamaverunt: *Non habemus Regem, nisi Caesarem*, Ioan. 19. Et ecce invitis, et nequidquam dissuadentibus Iudaeis, a Pilato Christus per illum titulum proclamatur *Rex Iudaeorum* . . . *REFL.* Si offenderit titulus ille Iudaeos, nobis certe gratus esse debet, qui Christum pridem agnovimus Regem . . .

VOL. Imo non tantum agnoscamus eum Regem Iudaeorum, sed profiteamur quod sit *Rex regum*, et *Dominus dominantium*, 1. Tim. 6.: *Exaltabo te, Deus meus Rex*, Ps. 144. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Crucifixerunt eum*, Matth. 27. . . . *INTEL.* Perpendamus Christum in sublimi cruce elevatum, separatum fuisse quodammodo a terra et a mundo; carnem et corpus suum habentem cruci affixum . . . *REFL.* Sic nos deberemus mundum despicere et deserere. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*, Gal. 5. . . . *VOL.* Dicamus itaque cum Apostolo Gal. 6. *mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*; hoc est, reputo mundum tamquam latronem crucifixum; sicut ille reputavit Christum . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM. Crucifixerunt eum, et latrones unum a dextris, et alterum a sinistris*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Singula in hoc crudelissimo spectaculo perpendamus: quanta patiatur Christus in *brevitate vitae* et *aetatis*; in *aegritudine et dolore* transfixus clavis, etc.; in *nuditate et paupertate*; in *contemptu et opprobriis*, *cum iniquis reputatus*, Marc. 15. . . . *REFL.* Nos vero *delicati* sumus milites sub tali Rege. . . . *VOL.* Curramus et accedamus ad Christum crucifixum; et *crucem* amplectamur, profeamusque ea quae suggerit mens et affectus . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Circumspiciamus innumeram hominum multitudinem spectaculo huic intentam . . . *INTEL.* Divinitas quodammodo dicit: *Nondum venit hora mea*, Ioan. 2. *Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?* Matth. 26. . . . *REFL.* Sic nos quando videmus, quod *peccatores et abundantes in saeculo obtinuerunt divitias*, et quod iustus sit *flagellatus tota die*, intremus *in sanctuarium Dei*, et *intelligamus in novissimis eorum*, Ps. 72. Mox veniet hora, qua se manifestabit Divinitas . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Haereamus in

amplexu Christi crucifixi . . . *INTEL.* Recogitemus illud 1. Pet. 2.: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus* . . . *REFL.* Sic Deus dilexit nos: sic iustitiae vivendo diligere ipsum debemus . . . *VOL.* Affectui indulgeamus in *amplexu* crucis.

COL. Conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXV.

De mysteriis in Cruce factis, Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 287.)

CONGR. Desiderium ut possimus *comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum, scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi,* Eph. 3.; quae latet in mysterio Crucis . . .

PRAEL. I. Quomodo Christus in cruce blasphemias audiverit, et divisa fuerint vestimenta eius.

PRAEL. II. Videre montem Calvariae.

PRAEL. III. Petere gratiam *ut possimus participes fieri Crucis Christi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus Iudaeos et Gentiles huc illuc cursitantes, et *praetereuntes* crucifixum Iesum, *moventes capita sua,* Matth. 27. . . *INTEL.* Magis etiam inquietus erat animus Iudaeorum interior, plenus invidia et odio. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest,* Isa. 57. . . . *REFL.* Nil mirum quia videmus apud campum babylonicum sub impiorum duce omnia esse confusa et perturbata . . . *VOL.* Nos vero stabiliamus nos sub *vexillo Christi,* ubi infunduntur fructus Spiritus Sancti, qui sunt *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo* etc. Gal. 5. . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Iudaei blasphemabant dicentes: *Vah qui destruis Templum Dei . . . salvum fac temetipsum descendens de cruce*, Marc. 15 . . *INTEL.* Similia habentur Sap. 2. *Si enim est vere Filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum. Contumelia et tormento interrogemus eum*, etc. . . *REFL.* Nos memores eorum, quae ante meditati sumus, concludamus quod Christus non descenderit, quia *amabat crucem* prae cathedra ignea et fumosa Luciferi . . . *VOL.* Convertamus nos igitur ad Iesum crucifixum optimum nostrum Imperatorem, agnoscentes et adorantes eum, et *aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*, Hebr. 12. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Milites *diviserunt vestimenta eius sortem mittentes*, Matt. 27. . . *INTEL.* Illi dividunt vestimenta Christi, qui *charitatem* violant, et dividunt fratrem a fratre: *Audio scissuras esse inter vos*, 1. Cor. 11. . . . *REFL.* Examinemus spiritum *charitatis* nostrae . . . *VOL.* Imprimamus cordi nostro verba, quae Christus dixit post ultimam coenam: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, Ioan. 13. . . .

PVNCT. IV. — Quid patiatur. — *MEM.* Maneamus aspicientes Iesum crucifixum . . . *INTEL.* Contemplemur *caput, manus, pedes, clavos, doloresque summos; inter quae audiamus irrisiones, blasphemias* etc. . . . *REFL.* Quis miles non movebitur videns Regem suum *sui amore* in tot *tormentis et miseriis*? quis non cum ipso volet *amore* ipsius *pati*? *VOL.* Igitur *deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*; Hebr. 12.; ad certamen scilicet *Crucis* . . .

PVNCT. V. — Quid Divinitas. — *MEM. A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam*, Matth. 27. . . *INTEL.* Incipit Divinitas se prodere. Tenebrae illae non tantum

indicabant *luctum coeli* in agonia Christi; sed etiam *tenebras et caecitatem* Iudaeorum. *Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt*, Eccli. 11. . . . *REFL.* Consideremus tenebras nostras; dum peccavimus *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, Hebr. 6. . . *VOL.* Deploremus tenebras nostras, et dicamus: *Deus meus, illumina tenebras meas*, Ps. 17. . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Aures iterum arrigamus ad blasphemias Iudaeorum. . . . *INTEL.* Sic in Christo impletum fuit illud Thren. 3.: *Saturabitur opprobriis*; idque *propter scelus populi*, Isa. 53... *REFL.* Nos sumus ille *populus*, nostra *scelera* fuere causa cur tanta passus sit Christus. . . *VOL.* Convertamus nos ad poenitentiam, ne cadat in nos illa reprehensio: *Nomen enim Dei per vos blasphematur*, Rom. 2. . . . . .

COL. Ad Christum crucifixum, sicut in *Exerc.* 1. *hebd.* 1. (Lib. Exerc. pag. 91.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVI.

De mysteriis in Cruce factis, Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 288.)

CONGR. Condolere Christo crucifixo.

PRAEL. I. Quomodo Christus protulerit in cruce septem verba.

PRAEL. II. Persistere in praesentia Christi crucifixi.

PRAEL. III. Petere gratiam *ut participes fiamus dolorum, et Crucis Christi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius, et soror Matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalenae.* Videamus quoque *Discipulum stantem*, *quem diligebat Iesus*, Ioan. . . . 19. *INTEL.* Stabant, quod significat *constantiam et perseverantiam* in casu tam luctuoso. . . .

REFL. Cogitemus quam levi de causa nos a *constantia* dimoveamur? . . . *VOL.* Stemus cum Matre Christi; et perseveremus sub cruce; nam *particeps erit victoriae, et felicitatis unusquisque, prout laborum et molestiarum socius extiterit* (Lib. Exerc. pag. 115.) . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Christum orantem pro crucifigentibus, latroni parcentem; et quomodo Matrem suam Ioanni commendet . . . *INTEL.* Verba omnia, quibus usus est, spirant *pietatem et charitatem* tum erga Matrem, tum erga inimicos, et malefactores: et *pro transgressoribus rogavit*, Isa. 53 . . . *REFL.* Memores simus quod nos quoque obstringamur illo Christi praecepto: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos*, Matth. 5. . . . *VOL.* Sequamur, et premamus in hoc Christi *vestigia*, ne simus ex illis, *qui retribuunt mala pro bonis*; Ps. 37.; sed ita agamus, ut gloriari possimus et dicere: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, Ps. 7. Potius nobis dictum putemus. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, Rom. 12. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Iesus dixit: *Sitio* . . . *illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Sic praedictum erat: *Et in siti mea potaverunt me aceto*, Ps. 68. . . . *REFL.* Si similes Christo esse velimus, necesse est eius exemplo expugnare rebellionem *sensus gulae*, nosque in hoc mortificare . . . *VOL.* Hoc exemplo excitati non solum diligenter observemus regulas *de victu temperando*, sed iuxta Addit. 10. Hebd. 1. etiam poenitentiam exteriorem in *cibo et potu* adhibeamus . . .

PVNCT. IV. — Quid patiatur. — *MEM.* Alia verba audiamus, quibus non tantum se *sitire*, sed etiam *derelictum* esse querebatur: ac tandem atrox ac arduum illud negotium dixit *consummatum esse*; et mortem obivit dicendo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Vt cognoscamus

dolores Christi morientis, qui durarunt per tres horas, meditemur verba Psal. 21. *Deus Deus meus, quare me dereliquisti*, etc. . . . *REFL.* Quid nos decet hic facere? ... *VOL.* Pluribus opus non est: aspiciamus modo Regem nostrum *morientem*, et verbo ac exemplo dicentem: *Omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte, Hebr.* 8. Exemplar illud impressum erit in cordibus nostris . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam*, Luc. 23. . . . *INTEL.* Qui tenebras illas tam prodigiose induxit in universam terram, demonstrabat quod potuisset Christus ab omnibus illis tormentis liberari, et quod *oblatus est, quia ipse voluit*, Isa. 53. . . . *REFL.* Sic nos quoque debemus velle, ut dicere possimus, *consummatum est*, Ioan. 19. . . . *VOL. Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum.*, Hebr. 12., stabiliamus nos in *tertia* hominum *classe*; ut reipsa consummemus *tertium modum humilitatis* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Mentem convertamus ad luctuosum illud spectaculum trium horarum . . . *INTEL.* Sic Christus *dilexit nos* humiliando semetipsum *usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. 2., idque ut fieret nobis *iustitia, et sanctificatio, et redemptio*, 1. Cor. 1. . . . *REFL.* Nos ex *dilectione* erga Christum paria haud dubie reddere debemus, si simus sanae mentis . . . *VOL.* Non avertentes oculos a Christo crucifixo duplicemus affectus *tertii modi humilitatis.*

COL. Ad Christum in cruce morientem conformia.
RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXVII.

De mysteriis in Cruce factis, Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

— Myst. Punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 288.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Quomodo in morte Christi petrae scissae sunt, monumenta aperta, velum Templi scissum, et aqua et sanguis ex latere Christi profluxerint.

PRAEL. II. Aspicere Hierosolymam, et Calvariae montem.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christo compatiendi*, et *commoriendi*.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Consideremus multitudinem hominum in tenebris illis, qui ad spectaculum Christi crucifigendi convenerant . . . *INTEL.* Inveniemus quosdam, veluti Scribas et Pharisaeos, pertinaces in *invidia et odio* suo; quosdam, inter quos fuit Centurio ille; permotos ad *poenitentiam*: quosdam, qualis fuit B. Virgo et S. Ioannes, plenos *commiseratione et charitate* . . . *REFL.* Consideremus nos ipsos, et videamus ad quorum numerum spectemus . . . *VOL.* Coniungamus nos ad illos, qui cum B. Virgine tangebantur *commiseratione*, et simul eliciamus affectus *verae poenitentiae* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terraemotu et his quae fiebant, timuerunt valde dicentes, vere Filius Dei erat iste*, Matth. 27. . . *INTEL.* En quomodo tandem ab homine Gentili, et milite exprimatur vox veritatis. Sic in novissimo iudicio exprimetur vox illa: *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum . . . Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei*, etc. Sap. 5. . . . *REFL.* Concludamus praestare, ut nunc cum Christo *humiliemur et crucifigamur*, ut deinde inter *filios Dei* computemur . . . *VOL.* Iuxta poste-

riorem eligendi modum semper consideremus *quo me consilio hac in re usum esse vellem* (Lib. Exerc. pag. 186.), in die iudicii: et ad Christum conversi toto corde dicamus: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Io. 11. . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Et clamans voce magna Iesus ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et haec dicens expiravit*, Luc. 23. . . *INTEL.* Sic Christus consummavit omnia, *et humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip. 2. . . . *REFL.* Quid nobis debet esse animi, quando Rex noster ita expiravit? . . . *VOL.* involvamus nos totos tertio modo humilitatis. *Eamus et nos ut moriamur cum eo*, Ioan. 11. . . . .

PVNCT. IV. — QVID PATIATVR. — *MEM.* Aspiciamus Christum cruci affixum, et iam *mortuum* . . . *INTEL.* Contemplemur et perpendamus illum horarum trium *acerbissimum agonem*, et caetera omnia *tormenta*, quae in cruce passus est . . . *REFL.* Non multis opus est; res ipsa loquitur quid nos deceat . . . *VOL.* Optabat Apostolus Philip. 3. *societatem passionum illius, configuratus morti eius*. Idem nos optemus, ut *configuremur morti eius*. . . . .

PVNCT. V. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* *Et ecce velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, Matth. 27. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua*, Ioan. 19. . . . *INTEL.* Similia miracula poterat Divinitas ante facere; sed distulit, *quia oportuit pati Christum*, Luc. 24. . . . *REFL.* Nos quoque dum patimur, *Deo* debemus permittere *tempus faciendi prodigia* . . . *VOL.* Clamemus potius cum S. Francisco Xaverio: *Amplius Domine, amplius*; ut possimus melius *configurari morti Christi* . . .

PVNCT. VI. — QVID NOS. — *MEM.* *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua rever-*

tebantur, Luc. 23. . . . *INTEL.* Percutiebant pectora sua ex *poenitentia*, et *compunctione* . . . *REFL.* Nos quoque debemus percutere pectora nostra, quia *iniquitas* nostra, et *misericordia* Christi erga nos crucifixerunt et occiderunt eum . . . *VOL.* Hic, si unquam, urgemur ad affectus *contritionis perfectae*, et *tertii modi humilitatis* . . .

COL. Ad Christum in cruce pendentem, qualia inspirabit affectus . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVIII.

De mysterio Sepulturae, Ibidem.

(Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 289.)

CONGR. Ordinaria.

PRAEL. I. Quomodo de cruce sublatus fuerit mortuus Dominus in conspectu afflictissimae Matris.

PRAEL. II. Aspicere locum in quo crux fixa erat.

PRAEL. III. Petere gratiam *cum afflictissima Matre lugendi in morte dilectissimi Filii.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus ad crucem Christi iam mortui B. V. Matrem cum aliis mulieribus, S. Ioanne, Iosepho ab Arimathaea, et Nicodemo . . . *INTEL.* Consideremus singulorum *moerorem*, *curam*, *commiserationem*, etc. . . . *REFL.* Cogitemus nos inter illos adesse, et cum singulorum affectu nostrum coniungamus . . . *VOL.* Dicamus ad B. V. Matrem: *Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide*, etc. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Ioseph ab Arimathaea nobilis Decurio . . . audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu*, Marc. 15. . . . *INTEL.* Audiamus apud Pilatum vocem Iosephi *zelosam*, *liberam*, *intrepidam* . . . *REFL.* Sic decet nos *zelose loqui*, dum agitur causa Dei . . . *VOL.* O Deus! *loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar*, Ps. 118. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Ioseph *tulit corpus Iesu*, Ioan. 19.; *Et depositum involvit sindone*, Luc. 23. . . *INTEL.* Iudaei clamaverunt: *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce*; Matth. 27. At Christus noluit *descendere*; sed *deponi*, et quidem postquam in ea *perseveraverat usque ad mortem* . . . *REFL.* Hinc discamus *perseverantiam*, et *constantiam* in cruce . . . *VOL.* Petamus fructus Spiritus Sancti, inter quos est *patientia et longanimitas*; dona item eiusdem Spiritus, inter quae est *fortitudo* necessaria ut cum Christo *perseveremus* in cruce . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — B. Virgo. *MEM.* Hisce omnibus intererat Mater afflictissima . . . *INTEL.* Vere illa prae omnibus *communicavit* Christi filii sui *passionibus*; laborumque et molestiarum *constans socia* extitit . . . *REFL.* Concludamus quod etiam prae caeteris *victoriae et felicitatis particeps* futura sit . . . *VOL.* Hoc afflictissimae Matris exemplum semper prae oculis habeamus dum dicimus: *En o Rex supreme*, etc., attestor *coram infinita bonitate tua*; *nec non in conspectu gloriosae Virginis Matris tuae* . . . *hunc esse animum meum*; *hoc desiderium*, *hoc certissimum decretum quam possim proxime te sequi in ferendis iniuriis*, *et adversis omnibus*, etc. (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Cogitemus Divinitatem unitam mansisse animae separatae, et corpori . . . *INTEL.* Manet tamen quasi abscondita Divinitas respectu Matris, et ei adhaerentium; sicut erat respectu Christi, neque Matrem *liberat* ab illo *dolore et luctu* . . . *REFL.* Nil igitur mirum si nobiscum etiam sic agitur. *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum*, Matth. 10. Et si Matrem oportuit cum ipso pati, quanto magis nos? . . . *VOL.* Semper prae oculis habeamus illas voces Apostoli Hebr. 12. *Ne fatigemini animis vestris deficientes* . . . *quem enim diligit Dominus castigat* :

flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate, etc. Cum B. Virgine iungamus patientiam nostram . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Beata Mater *vidit suum dulcem Natum morientem, desolatum, dum emisit spiritum. Pro peccatis suae gentis vidit Iesum in tormentis, et flagellis subditum* . . . *INTEL.* Nimirum peccata hominum fuere causa totius *Passionis* Christi, et secutae *desolationis* in Matre aliisque . . . *REFL.* Hinc patet quanta sit in peccato *malitia* . . . *VOL.* Exerceamus *affectus primae Hebdomadae* . . .

COL. Tria ex *eadem Hebdomada.* (Lib. Exerc. pag. 96.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXIX.

De mysterio Sepulturae, Ibidem.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 289.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo delatum sit ad Sepulchrum corpus, unctum et inclusum.

PRAEL. II. Intueri locum Sepulchri.

PRAEL. III. Petere gratiam *comitandi fructuose corpus Christi ad sepulturam.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Oculos vertamus ad Nicodemum, qui cum B. Virgine et aliis adfuit sepulturae Christi . . . *INTEL.* Contemplemur illum ferentem *mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum*, Ioan. 19. . . *REFL.* Nos quoque imitemur liberalem eius animum erga Christum: si enim *quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae* . . . *non perdet mercedem suam*, Matt. 10.; multo magis haec liberalitas *ipsi Christo* impensa *mercedem* habebit . . . *VOL.* Exuamus nos omnibus, et *paupertatis spiritum* sectemur, ut omnia Christo de-

mus. Quapropter cordi nobis deinceps erit reg. Sunim. 19.; quia *quanto aliquis liberaliorem erga summam Maiestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur* . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Christus de muliere, quae effuderat unguentum super caput eius, dixit Matth. 26.: *Opus enim bonum operata est in me* . . . *Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* . . . *INTEL.* Ratiocinemur quantopere laudandi sint omnes isti, qui reipsa *tanto eum affectu* ipsum *sepelierunt* . . . *REFL.* Nos quoque decet talem a Christo laudem mereri *liberali obsequio* nostro erga *corpus eius* in venerabili *Eucharistia*, ubi est quasi mortuo modo . . . *VOL.* Excitemus ad id nos illis verbis: *Quantum potes tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Et accepto corpore, Ioseph involvit illud sindone munda*, Matth. 27. *Et ligaverunt illud linteis cum aromatibus*, Io. 19. . . *INTEL.* Consideremus *munditiem* sindonis et *aromata*, quibus Christi corpus involutum fuit . . . *REFL.* Sic nos *munditiem cordis*, et *virtutum aromata*, debemus adhibere, dum *sumimus corpus* Christi . . . *VOL.* Petamus haec *virtutum aromata* his verbis: *Fac me tibi semper magis credere, in te spem habere, te diligere. Munditiem* vero hisce: *Pie Pelicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine, etc.* . . .

PVNCT. IV. — QVID PATITVR. — *MEM.* Intueamur B. Virginem cum caeteris tam viris, quam mulieribus sepultura occupatis . . . *INTEL.* Perpendamus *obsequium*, quod praestabant, fuisse plenum *luctu et moerore* . . . *REFL.* Sic qui Christo serviunt, *participes* debent fieri eius *dolorum* . . . *VOL.* Offeramus nos Christo, ut nos quoque ei servientes *Passionis* ipsius *participes* fiamus . . .

PVNCT. V. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* Videamus Christi corpus ad Sepulchrum deferri . . . *INTEL.* Divinitas permittit omnia fieri, *sicut mos est Iudaeis*

sepelire, Ioan. 19. . . . *REFL.* Sic Deus permittit nos peragere multa, *sicut mos est;* ut *patientia*, et *meritum* nostrum augeatur . . . *VOL.* Anhelemus ad fructus Spiritus Sancti, inter quos est *patientia*, quae maxime necessaria est in *sequendo et prementendo* Christi *vestigia* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Tandem B. Virgo cum aliis reponit corpus Christi, et includit in Sepulchro . . . *INTEL.* Cogitemus quomodo illi omnes modo ad Sepulchrum, modo ad *Crucem* respectaverint, et quos *affectus* elicuerint . . . *REFL.* Nos quoque *eadem* cordi nostro imprimamus, memores quod Christus *mortuus et sepultus* sit, ut deleret *quod adversus nos erat chirographum decreti*, Coloss. 2.; idque ex *amore* erga nos . . . *VOL.* Coniungamus *affectum amoris* nostri erga Christum cum illo B. Virginis et aliorum, qui Christo obsequium praestiterunt *deponendi et sepeliendi*: et in signum *veri amoris*, et *perfectae contritionis* offeramus illi *tertium humilitatis modum*.

COL. De *eodem tertio modo.* (Lib. Exerc. pag. 169.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXX.

De mysterio Sepulturae, Ibidem.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 289.)

CONGR. Solita.

PRAEL. I. Quomodo Sepulchro adhibiti sint custodes.

PRAEL. II. Intueri Sepulchrum clausum.

PRAEL. III. Petere gratiam *patiendi, et adhaerendi Christo mortuo et sepulto.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM. Post Parasceven convenerunt Principes Sacerdotum, et Pharisaei ad Pilatum*, Matth. 27. . . . *INTEL.* Consideremus illos Principes Sacerdotum, et Pharisaeos, qui cum alii ab

illo spectaculo redirent pleni compunctione *percutientes pectora sua*, Luc. 23.; ipsi reduces manebant pleni pertinaci invidia, et odio in Christum, quae invidia nascebatur ex *superbia*, quae radicata erat in cupiditate *divitiarum et honorum* . . . *REFL.* Concludamus hinc, quam vere dicatur quod ex praecipuis *illis tribus tentationum gradibus in alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus* (Lib. Exerc. pag. 148.) . . . *VOL.* Confugiamus ad affectus meditationis de *duobus Vexillis* (Ibid. pag. 151.). . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Pharisaei illi dicebant Pilato: *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens*, Matth. 27. . . . *INTEL.* *Seductor ille. Hoc appellabatur nomine Dominus Iesus Christus ad solatium servorum suorum, quando vocantur seductores*, inquit S. August. in Psal. 63. . . . *REFL.* Aequum est nos horum meminisse, dum similia de nobis dicuntur . . . *VOL.* Hic iterum nos firmemus in affectibus praeteriti puncti, optantes *virtutes* contrarias *tribus tentationum gradibus*. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* *Ait illis Pilatus: habetis custodiam; ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt Sepulchrum signantes lapidem, cum custodibus*, Matth. 27. . . . *INTEL.* Sic illi pugnabant contra resurrectionem Christi: et *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius*, Ps. 2. . . . *REFL.* Nos vero perpendamus quam stultum fuerit hoc consilium. Nam *non est consilium contra Dominum*, Prov. 21.; ideoque *qui habitat in coelis irridebit eos*, Ps. 2. . . . *VOL.* Nos sub vexillo Christi magnos animos concipiamus contra omnes terrores adversariorum iuxta regulas disc. spir. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Ps. 2. *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum*, Ps. 70. . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Recolligamus omnia hactenus in mysterio Sepulturae peracta . . . *INTEL.* Ratiocinemur Christum modo quo-

dam certo non cessare a patiendo etiam post mortem. Nam manet in *summa paupertate*, ut in alieno etiam sepulchro debeat sepeliri, et alienis sumptibus. Patitur in *honore*, dum vocatur seductor. Patitur *persecutionem*, dum muniunt sepulchrum contra resurrectionem, et dum corpus eius ipsis hostibus datur custodiendum. Patitur in dilectissima sua *Matre et discipulis* suis derelictis in summa solitudine et afflictione, etc. . . . *REFL.* Nostrum est ita constanter, et usque ad finem cum Christo pati, ut etiam dicere possimus, *consummatum est*, Ioan. 19. . . . *VOL.* Pudeat nos haerere in *prima* aut *secunda* hominum *classe*. Nam illi nunquam dicere possunt *consummatum est* . . .

PVNCT. V. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Eadem recogitemus, quae in priore puncto . . . *INTEL.* Ratiocinemur Divinitatem etiamnum latere absconditam: et haec omnia permittere, ut de passione Christi possit dici, *consummatum est*; et ut *implerentur Scripturae*, Matth. 26. . . . *REFL.* Hoc sane deberet nos urgere, ut constituamus nos firmo proposito in *tertia* hominum *classe*, et ut non tantum *verbo*, sed *opere et veritate* Christo *compatiamur* . . .

PVNCT. VI. — Qvid nos. — *MEM.* Non avertamus mentem a iam dictis . . . *INTEL.* Perpendamus haec omnia contigisse ex dilectione Dei erga nos, *cum adhuc peccatores essemus*, Rom. 5. *Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos*; *sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*, Tim. 3. . . . *REFL.* Quid nos ad tantum *amorem*? . . . *VOL.* Cum perfecta contritione totos nos effundamus in affectus *tertii modi humilitatis*.

COL. Conformia identidem renovemus.

RECOLLECTIO.

REPETITIONES modo partis, modo totius Passionis fiant, prout annotatur in fine Hebd. 3. ante regulas *de victu* (Lib. Exerc. pag. 202.).

Item SENSVVM APPLICATIONES.

QVARTAE HEBDOMADAE MEDITATIONES

In hac *Hebdomada* singula *puncta Mysterii* reducemus ad *Meditationem* cum *quinque punctis*, iuxta praescriptum modum a S. P. nostro; (Lib. Exerc. pag. 216.) exceptis nonnullis, quae formabuntur in *Meditationes* cum *tribus punctis*.

MEDITATIO I.

Apparitio prima.

Myst. punct. unic. (Lib. Exerc. pag. 290.)

CONGR. *Vt dum vigilo repente mihi ponam ob oculos statutam contemplationem, et de gaudio Domini cum suis studeam et ipse exhilarescere* (Lib. Exerc. pag. 217.).

PRAEL. I. Quomodo Christus redivivus apparuerit B. Virgini Matri suae.

PRAEL. II. Speculari domicilium B. Virginis.

PRAEL. III. Petere ut *participes fiamus immensi gaudii, quod habuit Christus et Mater eius.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Videre B. Virginem solitariam in domo sua, Christum quoque qui deinde ipsi adfuit .... *INTEL.* B. Virgo erat afflicta; plena tamen *fide*, et *spe* resurrectionis. In Christo vero consideremus quatuor dotes corporis gloriosi, *claritatem*, *impassibilitatem*, *agilitatem*, *subtilitatem* ... *REFL.* Discamus in tribulatione fortes esse in *fide* et *spe* exemplo B. Virginis. In Christo vero id, quod contempl. *Regni Christi* perpendimus; quo maior fuit *labor*, eo maius futurum *gaudium* ... *VOL.* Nos quoque cum B. Virgine eliciamus *fidem* et *spem*; et Christo glorioso *gratulemur* ...

PVNCT. II. — Verba. *MEM.* — Audiamus voces

Angelorum et Sanctorum cum Christo ingredientium conclave B. Virginis ... *INTEL.* De Christo canebant: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et Divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem*, Apoc. 5. Ad B. Virginem vero: *Regina coeli, laetare, alleluia*, etc. . . . *REFL.* Cogitemus quod in mundo *nil canitur suavius, auditur nil iucundius*, quam illud canticum ad Iesum et Mariam . . . *VOL.* Coniungamus voces nostras cum illis, et Christo ac B. Virgini congaudeamus . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Quod Christus redivivus, comitatus Patribus e limbo eductis, Angelis, etc. primum visitaverit Matrem suam . . . *INTEL.* Nec mirum; nam illa prae caeteris *particeps* fuerat *laborum ac molestiarum* filii . . . *REFL.* Si nos pariter cum Rege nostro in *labore* fuerimus, etiam *victoriae* pariter erimus *participes* . . . *VOL.* Confirmemus nos in iis, quae proposuimus in contempl. *Regni Christi*, (Lib. Exerc. pag. 117.) et *fidem* ac *spem* excitemus . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christus neque sepulchro, neque ullo obstaculo impeditus ad Matrem gloriosus ingreditur . . . *INTEL.* En ut Divinitas non amplius se *abscondat*, sicut in passione; sed variis modis et miraculis se *ostendat* . . . *REFL.* Talia miracula Divinitas erga *commilitones Christi* exerit post mortem nostram . . . *VOL.* Haec *spes futurae gloriae* a nobis excitetur in omni tribulatione . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Quomodo ad Christi apparitionem detersa fuerit omnis *tristitia* in B. Virgine . . . *INTEL.* Non tantum post mortem; sed etiam in hac vita Dominus solatur suos plusquam amicissimus quisque facere posset... *REFL.* Vere non est *sanae mentis*, qui haec sciens non *avidissime* se Christi servitio addicit . . . *VOL.* Eliciamus actus *fidei* et *spei*; et dicamus, *non sum turbatus te Pastorem sequens*, Ierem. 17. . . .

COL. Ad Christum gloriosum, petendo *tres virtutes Theologicas, et gaudium cum ipso et beata Virgine in Spiritu Sancto.*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO II.

De apparitione secunda, Marc. 16.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 291.)

CONGR. Vt iam dictum.

PRAEL. I. Summo mane ad Monumentum profectae sunt Maria Magdalene, Maria Iacobi, et Salome.

PRAEL. II. Conspicere viam ad Monumentum.

PRAEL. III. Petere gratiam *quaerendi diligenter et inveniendi Christum.*

Nota. Haec *Meditatio*, et nonnullae aliae habent tantum *tria puncta meditationis*, quia *punctum Mysterii* necdum proponit quid *Divinitas* in Christo ipso, vel in aliis operetur.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Speculemur tres illas mulieres euntes ad Sepulchrum Christi . . . *INTEL.* Erant instructae aromatibus, *ut venientes ungerent Iesum*, Marc. 16. . . . *REFL.* Sic nos, dum imus ad *S. Communionem*, vel quaerimus Iesum, debemus nobiscum ferre *aromata virtutum* . . . *VOL.* Deploret paupertatem suam, et inopiam *virtutum*. Confugiamus ad Deum, a quo est *omne datum optimum, et omne donum perfectum*, Iacob. 1. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Mulieres *dixerunt ad invicem: quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Marc. 16. . . . *INTEL.* Noteinus in mulieribus illis *constantiam:* quamvis enim hoc dicerent, non ideo omittebant bene coeptum iter . . . *REFL.* Sic nos in arduis *constantes* esse oportet . . . *VOL.* Petamus a Deo donum *fortitudinis*, et cogitemus in arduis negotiis nobis dici a Christo, quod dixit Paulo Act. 23. *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet et Romae testificari* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Mulieres illae *valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum*, *orto iam sole*, Marc. 16. . . . *INTEL.* Non mirum est postea a mulieribus inventum fuisse Christum: nam ipse dixerat Prov. 8. *Qui mane vigilant ad me*, *invenient me* . . . *REFL.* Examinemus quomodo transigatur *meditatio* nostra *matutina* . . . *VOL.* Vigilemus, et quaeramus Christum cum mulieribus *valde mane*: dicamus cum Davide, Ps. 62.: *Deus Deus meus*, *ad te de luce vigilo* . . .

COL. Ad Christum gloriosum petendo gratiam, ut dicere possimus cum Propheta Ps. 56. *Exurge*, *gloria mea*, *exurge*, *psalterium et cithara*, *exurgam diluculo*; et Ps. 118., *praevenerunt oculi mei ad te diluculo*, *ut meditarer eloquia tua* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO III.

De apparitione secunda, Marc. 16.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 291.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Viderunt mulieres lapidem revolutum, et Angelum loquentem audierunt.

PRAEL. II. Inspicere locum Sepulchri.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum per Angelos loquentem audiendi*, *et sequendi*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspicere mulieres iam in ipso loco Sepulchri constitutas, et lapidem revolutum . . . *INTEL.* Comparemus illarum statum interiorem in loco cum illo, qui erat in via: quando enim *respicientes viderunt revolutum lapidem*, Marc. 16.; tunc *anxietas*, quam habuerant de lapide, versa est in *consolationem* interiorem . . . *REFL.* Talis vicissitudo *desolationis et consolationis* frequens est in hac vita, ideo iuxta reg. 11. Hebd. 1. *de disc. spir.*

(Lib. Exerc. pag. 310.) in desolatione erigendus animus spe consolationis; et in consolatione parandus ad desolationem ... *VOL.* Cum magna fiducia resignemus nos in hoc totos in voluntatem Dei, qui *mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit: Dominus pauperem facit, et ditat: humiliat et sublevat*, 1. Reg. 2. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM:* Angelus dixit: *Iesum quaeritis Nazarenum? Surrexit: non est hic*, Marc. 16. . . . *INTEL.* Qui sincere Iesum quaerunt, facile a spiritu bono audient, *non est hic;* non est in *hoc statu*, de quo deliberas ... *REFL.* Sed in hoc debemus nos examinare; an Iesum *sincere et solum* quaeramus? Electio enim necesse est, ut *semper pura et clara sit; non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta* (Lib. Exerc. pag. 174.)... *VOL.* Quoniam in omnibus rebus tanti interest *bene eligere*, oremus Christum, ut per Angelos suos nos velit dirigere, et ut det gratiam *sincere* ipsum, et quidem *crucifixum* quaerendi . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM. Angelus dixit mulieribus: . . . non est hic. Surrexit enim sicut dixit*; Matth. 28. *INTEL.* Perpendamus, quod Christus primum per Angelos nuntiaverit mulieribus illis resurrectionem. Nam ut Suarez scribit in regulas Hebd. 1. de *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 303.) una ex praecipuis functionibus Angelorum est dare bonas inspirationes suis clientibus . . . *REFL.* Hinc concludamus quid debeamus Angelis nostris custodibus? . . . *VOL.* Excitemus affectum *reverentiae, fiduciae*, etc. erga *Angelos* nostros custodes, de quibus multa in Scripturis, et SS. Patribus . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO IV.

De apparitione secunda Marc. 6.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 291.)

CONGR. Sicut in Medit. 1. habetur.

PRAEL. I. Apparuit Mariae Magdalenae, quae aliis digressis, iuxta Sepulchrum restiterat.

PRAEL. II. Videre locum Sepulchri.

PRAEL. III. Petere, ut *cum Maria Magdalena possimus cum gaudio amare Christum gloriosum.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspiciamus Mariam Magdalenam ad Sepulchrum solam remanentem . . . *INTEL.* Speculemur eam plorantem. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans*, Ioan. 20. Hae erant lacrymae vehementis amoris erga Christum . . . *REFL.* Comparemus languidum nostrum amorem cum illo Mariae Magdalenae . . . *VOL.* Excitemus affectus *perfectae charitatis* erga Christum, et Spiritus Sancti gratiam ad hoc imploremus: *Veni, S. Spiritus, et tui amoris ignem in nobis accende* etc. . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Dicit ei Iesus: Maria*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* Haec unica vox Christi detersit omnes lacrymas, vel potius omnem dolorem; nam forte lacrymae amoris abundantius fluebant . . . *REFL.* Hinc patet, quam potens sit verbum Christi . . . *VOL.* Accusemus amorem nostrum languidum, petamus remedium dicentes: *Domine tantum dic verbo, et sanabitur anima mea* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Maria existimabat, *quia Hortulanus esset*, quem videbat; Ioan. 20.: nec nisi post colloquium aliquod agnovit Christum . . . *INTEL.* Sic Christus plenam consolationem solet differre, *ut probemur quinam simus, et quomodo in Dei servitium, et honorem, absque praesente quodam consolationum . . . stipendio nosmet impendimus*, Reg. 9. Hebd. 1. de *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 310.) . . .

REFL. Examinemus quam *tepidi* nos simus, dum non adest illud *stipendium consolationis* . . . *VOL.* Exerceamus actus *resignationis* in hoc puncto, quales habet libellus de *Imitatione Christi*, lib. 3. cap. 17. . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christus manifestavit se Magdalenae . . . *INTEL.* Consideremus gloriosam mutationem. Magdalena viderat Christum *ligatum*, cruci *affixum*, *morientem*: nunc videt ipsum *liberum*, pro libitu se abscondentem, vel manifestantem *redivivum* . . . *REFL.* Fides nos iubet etiam sperare *in libertatem gloriae filiorum Dei*, Rom. 8. . . *VOL.* Quando talem *spem* habemus, renovemus affectum indifferentiae erga *longam* vel *brevem* vitam, sicut in meditatione *Fundamenti* elicuimus . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Recogitemus consolationem Magdalenae Christo cognito . . *INTEL.* Ratiocinemur quod prae multis aliis Christus hanc gratiam ipsi impenderit, quia adstitit Christo morienti . . . *REFL.* Nos quoque si *constanter compassi* fuerimus Christo, poterimus eius *solatia* etiam in *hac vita* expectare . . . *VOL.* Dicamus cum Apostolo, Gal. 2.: *Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus* . . .

COL. Ad Christum redivivum, petendo gratiam cum illo *patiendi*; prout in medit. *de duobus Vexillis*, (Lib. Exerc. pag. 151.) ut participes aliquando fiamus *victoriae*.

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO V.

De apparitione tertia, Matth. 28.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 292.)

CONGR. Propria toti huic hebdomadae.

PRAEL. I. Quomodo mulieres cum timore, et gaudio a monumento redirent: discipulis narrarent quae de resurrectione audiverant.

PRAEL. II. Imaginari viam per quam redibant.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum quaerendi, et digne praedicandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Mulieres *exierunt cito de Monumento cum timore, et gaudio magno*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Gaudebant quia sciebant Christum ibi non esse, sed surrexisse. Causa timoris inter caeteras erat, quod nescirent ubinam esset . . . *REFL.* Idem nobis accidit, dum Iesum quaerimus per regulas *electionis*. Non sine gaudio audimus *non est hic: non est in hoc statu*, hoc *negotium* non est eligendum. Sed timor manet, quamdiu nescimus quid amplectendum . . . *VOL.* Statuamus bene vacare regulis *electionis*: petamusque donum *consilii*, ut non tantum intelligamus ubi Christus *non sit*; sed etiam *ubi sit.* Non tantum sciamus malum, a quo declinandum; sed etiam bonum, quod faciendum . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus mulieres in reditu inter se loquentes . . . *INTEL.* Sane non lubebat illis loqui de rebus *mundanis et vanis*; de iis quae Hierosolymis, vel in Imperio Romano gerebantur: sed tantum de mysterio *Resurrectionis* . . . *REFL.* Si nos quoque quaereremus eo fervore Christum, non placerent quoque *rumores vani* . . . *VOL.* Doleamus de inanibus colloquiis; dicamus Deo: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua*, Ps. 118. . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Mulieres *exierunt cito de monumento . . . currentes nuntiare discipulis eius*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Hoc proprium est illis, qui Spiritu Sancto pleni sunt, loqui magnalia Dei, eaque aliis cito annuntiare et divulgare: sic enim laudando opera Dei satisfaciunt optime fini creationis suae . . . *REFL.* Examinemus an in nobis sit talis spiritus, qui faciat nos currere, et cito currere ad Mysteria Dei divulganda? . . *VOL.* Agnoscamus nos procul abesse ab illo spiritu, qui est *spiritus Apostolicus* Societatis: renovemus, et suscitemus in nobis illum *spiritum;* dicamusque cum Propheta Ps. 39.: *Annuntiavi*

iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, et salutare tuum dixi . . .

COL. Ad Christum gloriosum, petendo *spiritum Apostolicum*, quo non tantum in *privatis* colloquiis; sed etiam *praedicatione*, et aliis viis promulgemus eius *Mortem et Resurrectionem . . .*

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VI.

De apparitione tertia. Matth. 28.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 292.)

CONGR. Non mutatur.

PRAEL. I. Quomodo Christus redeuntibus apparuerit in via, et illae ipsum adoraverint.

PRAEL. II. Imaginari sibi locum istius apparitionis.

PRAEL. III. Petere ut cum *mulieribus possimus participes fieri istius gaudii, et incrementi amoris erga Christum . . .*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus mulieres illas in reditu, plenas etiamnum timore et gaudio . . . *INTEL.* Haec omnia sciebat, et spectabat Christus; nec tamen timorem illum manifestando se detergebat . . . *REFL.* Applicemus hoc illis verbis, quae habemus reg. 7. Hebd. 1. de disc. spir.: *Assistente nobis praesidio divino; quod semper manet, licet tunc nequaquam sentiatur . . . VOL.* Ex hac veritate magnos *animos*, magnam *fiduciam* de Dei assistentia concipiamus in *timore et desolatione*; *quoniam a dextris est mihi ne commovear*, Ps. 15.; quamvis necdum se clare manifestet . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM. Et ecce Iesus occurrit illis dicens; avete,* Matt. 28. . . . *INTEL.* Atque ecce ad unicam illam vocem detergitur omnis timor. Non nominat illas Christus, sicut nominaverat in praece-

denti apparitione dicens; *Maria:* et tamen singulae dicere poterant: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est*, Cant. 5. . . . *REFL.* Recordemur quod meditati sumus de *duobus Vexillis*, ubi vidimus ducem impiorum *horribilem figura, vultuque terribilem*; (Lib. Exerc. pag. 148.) Christum *valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem* (ibid. pag. 1.). Hinc quoque discimus, quam amabilis sit Christi vox contraria voci diaboli . . . *VOL.* Dicamus ad Christum: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora*, Cant. 2. Sed simul parati esse debemus ad dicendum: *Vocavi, et non respondit mihi*, Cant. 5. Quia habet tempora *desolationis*, et *consolationis* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Fecerunt, sicut legitur Cant. 3. *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam* . . . *REFL.* Discamus hinc in consolatione *accedere* magis ad Christum, amplexari illum, et adorare, nec *dimittere* illum data a *nobis* occasione. Quod si sponte (quod saepe fit) abierit; tunc aspirandum et dicendum, *revertere: similis esto, dilecte mi, capreae*, etc. Cant. 2. . . *VOL.* Habemus ex his affectus *charitatis, spei*, aliosque quos possimus excitare . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM. Et ecce Iesus occurrit illis*, Matth. 28. . . *INTEL.* Perpendamus, quomodo Divinitas ante abscondita pergat tot *miraculis* se prodere: per *Angelos*, per amotionem *lapidis*, per *apparitionem* Magdalenae factam; et iam *occurrendo* mulieribus . . . *REFL.* Etiam in nobis miracula fient, quando consecuti fuerimus *felicem immortalitatem* . . . *VOL.* Dicamus: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. Et adspiremus ad finem illum beatum . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Dixit Iesus illis: *Avete* . . . *INTEL.* Consideremus quot modis hactenus Christus suos sit solatus, et quot formis. Apparuit B. Virgini forma haud dubie magis gloriosa;

postea quodammodo per Angelos; deinde per modum hortulani; nunc in forma alia. Vere dici potest quod esset *ludens in orbe terrarum*: et ipse dicere; *deliciae meae esse cum filiis hominum*, Prov. 8. . . . *REFL.* Consideremus regulas *de disc. spir.*, et modos quibus Christus solet cum anima devota agere, et comperiemus *hunc lusum* etiamnum durare . . . *VOL.* Agamus gratias pro tanta *bonitate*, et tanto *amori amorem* nostrum reponamus, et totos nos in *sinum providentiae ipsius* coniiciamus . . .

COL. Ad Christum redivivum, petendo lumen, ut possimus eius in nos *dilectionem cognoscere*, et inde ad *redamandum magis inflammari*.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO VII.

De apparitione tertia. Matt. 28.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 293.)

CONGR. Dum evigilamus congaudere Christo aliisque, quibus apparuit, ut dictum est.

PRAEL. I. Quomodo Christus miserit mulieres nunciatum discipulis, ut eant in Galilaeam.

PRAEL. II. Conspicari locum, ubi Christus mulieribus apparuit, et hoc mandavit.

PRAEL. III. Petere gratiam *congaudendi Christo, eumque ob spem gloriae arctius sequendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus mulieres adorantes cum timore Christum, qui dicebat: *Nolite timere*, Matt. 28. . . . *INTEL.* Ratiocinemur hunc timorem oriri ex reverentia, et amore. *Timebant* videlicet, ut illi *adorationem et reverentiam* debitam redderent. Hic timor non impedit gaudium ortum ex Christo viso, nam sic in coelo Deum visum adorant, et tremunt Potestates . . . *REFL.* Examinemus nos ipsos, an talem *reverentiam et timorem* habeamus in

oratione, dum adoramus Christum tamquam praesentem? . . . *VOL.* Anhelemus ad gratiam eiusmodi *reverentiae et timoris*. Petamus hanc gratiam a Christo, et dicamus: *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum*, Ps. 85. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* *Tunc ait illis Iesus . . . ite, nuntiate fratribus meis*, Matt. 28. . . *INTEL.* Vox illa ostendit esse Christum *summe amantem*. Nisi enim talis esset, non proveniret ab ipso vox tam amabilis, qua vocat discipulos *suos fratres*. Alibi dixerat illis: *Vos amici mei estis*, Ioan. 15. . . . *REFL.* Concludamus nos non esse *sanae mentis*, si non *cupidissime* Regem tam *amantem* sequamur . . . *VOL.* Effundamus nos totos in actus *amoris* erga Regem tam *amabilem*, et suorum *amantem* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Mandat Christus per mulieres discipulis, *ut eant in Galilaeam*; Matth. 28. . . . *INTEL.* Quamvis Christus, etiam antequam irent in Galilaeam, ostenderit se discipulis; mandat tamen ut eant in Galilaeam; quia volebat opere ipso implere *fidem*, quam ante verbo ipsis dederat, quod ibi essent illum visuri . . . *REFL.* Docemur hic servare *fidem* aliis datam, estque *fides* unus ex fructibus Spiritus Sancti, oriturque ex *charitate*. Examinemus igitur *charitatem* nostram, et *fidem* aliis datam . . . *VOL.* Invocemus Spiritum Sanctum, ut infundat in nos fructus illos descriptos ad Galat. 5., nominatim *fidem*, non nixam rationibus humanis, sed sincera *charitate* . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christus ante mortem dixerat, Matth. 26.: *Praecedam vos in Galilaeam* . . . *INTEL.* Ratiocinemur quomodo Divinitas post mortem miraculis se manifestet. Ante mortem non sine labore Christus iter faciebat in Galilaeam. Nunc vero quando opere vult fidem suam exsolvere, utitur ad hoc dote *agilitatis*, et corpus suum *gloriosum* esse demonstrat . . . *REFL.* Cogitemus nos quoque post mortem *dotibus gloriosi corporis* ornan-

dos, si in vita cum Christo laboraverimus; *labori enim praemium respondebit* . . . *VOL.* Hac certa *spe* freti dicamus cum ingenti affectu: *En o Rex supreme*, etc. (Lib. Exerc. pag. 117.) . . .

PVNCT. V. — SOLATIVM IN HAC VITA. — *MEM.* Repetamus verba Christi: *Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis*, etc. Matth. 28. . . . *INTEL.* Aestimemus ex his verbis *quam prompto, copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibita consolationis, quae ab amicissimo quopiam praestari posset, similitudine* (Lib. Exerc. pag. 216.) . . . *REFL.* Examinemus nos, an *divinis* illis solatiis non praetulerimus *vana et humana*? . . . *VOL.* Toto corde amplectamur *tertium humilitatis modum*, sentiemus enim in *humilitate* Christi etiam in hac vita verum esse: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus*, Ps. 33.

COL. *Tertii gradus humilitatis*, proposita certa *spe gloriae* post hanc vitam, et *auxilii ac solatii divini* in hac vita . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO VIII.

De apparitione quarta, Luc. 24.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 293.)

CONGR. Vt dictum.

PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit Petro, postquam hic cucurrisset ad Monumentum.

PRAEL. II. Videre locum in via ad Monumentum, ubi Petro apparuit.

PRAEL. III. Petere gratiam *prompte sequendi Christum etiam dum per alios nos vocat*.

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus mulieres illas iam reduces a Sepulchro, accedentes ad Petrum aliosque discipulos . . . *INTEL.* Consideremus in mulieribus interius animi *solatium*, quod habebant de rebus visis et auditis; *solicitudinem* ut, prout man-

datum erat, gaudium suum aliis communicarent. Haec *solicitudo* ex oculis, vultu, gestu, totoque corporis habitu, qui gaudium coeleste spirabat, poterat cognosci . . . *REFL.* Comparemus solatia nostra interiora, et aviditatem aliis narrandi cum aviditate et solatiis istarum mulierum; inveniemus *solatia* nostra saepe a rebus *vanis* oriri . . . *VOL.* Fateamur cum dolore et proposito emendationis, quod interdum pleni simus non solatiis coelestibus, sed terrenis; et cum Davide Ps. 118. precemur Deum, *inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Nam revera in Christo, qui est Sapientia aeterna, *et in amicitia illius delectatio bona,* Sapientiae Cap. 8. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus mulieres illas discipulis narrantes de Sepulchro, de apparitione sibi facta, de iis quae Angeli dixerant, et Christus . . . *INTEL.* Non lubebat illis tota die de aliis rebus loqui; nec Petrus aliique discipuli aliud volebant audire praeter illa, quae pertinebant ad mysterium *Resurrectionis* . . . *REFL.* Sic fit quoque in nobis, si in meditatione *Mysteria* eiusmodi *bene* fuerimus contemplati: sin minus, ad *vana colloquia* facile delabimur... *VOL.* Accusemus nos de multis verbis *otiosis* et *vanis* colloquiis: excitemus desiderium, ut repleamur potius cogitationibus sanctis, et ut in meditatione *exardescat ignis*; tunc poterimus dicere cum Davide, Psal. 44., *eructavit cor meum verbum bonum;* et Ps. 144., *confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua; et Sancti tui benedicant tibi. Gloriam Regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur* . . .

PVNCT. III. — Opera — *MEM. Petrus autem surgens cucurrit ad Monumentum,* Luc. 24. . . . *INTEL.* Ex colloquiis et narratione mulierum ita incitatus erat Petrus, ut iam non iret, sed *curreret* ad Monumentum . . . *REFL.* Nos vero saepe non *currimus*; sed cum *taedio lente* nos conferimus ad mysteria Christi meditando indaganda . . . *VOL.* Excutiamus illum *torporem*, et cum Petro curramus ad inspicienda

Christi mysteria: dicamus illi; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, Ps. 118. Mane proinde cito evigilemus, et properemus ad congaudendum cum Christo . . .

COL. Conforme contemplationi *Regni Christi*, petendo *ne obsurdescamus vocante nos Christo, sed ad sequendum ac obtemperandum prompti simus* (Lib. Exerc. pag. 114.).

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO IX.

De apparitione quarta, Luc. 24.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 293.)

CONGR. Congaudere Christo redivivo, dum evigilamus, sicut explicatum est.

PRAEL. I. Quomodo Petrus introgressus Monumentum sola viderit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

PRAEL. II. Repraesentare sibi locum Sepulchri, et linteaminum.

PRAEL. III. Petere *desiderium inflammatum agnoscendi Christum, illum inveniendi, illique congaudendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Aspiciamus Petrum iam cursu perlatum usque ad Monumentum . . . *INTEL.* Consideremus in Petro *tertiam et quartam virtutem* positam inter octo Beatitudines. Nam *esuriebat et sitiebat* iustitiam; *lugebatque* eo quod Solem iustitiae non inveniret . . . *REFL.* Respiciamus nos an talem *esuriem*, *sitim*, *et luctum* habeamus? . . . *VOL.* Fateamur cum pudore et dolore quod nos potius *mundana et vana* esuriamus, et lugeamus illorum amissionem: dicamusque cum Davide: *Quemadmodum desiderat cervus*, etc. *Sitivit anima mea ad Deum*, etc. *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* etc. Ps. 41 . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM.* Audiamus Petrum cum Ioanne, et secum loquentem . . . *INTEL.* Ratiocinemur eum, haec aut similia dixisse: *Quaeram quem diligit anima mea; quaesivi illum, et non inveni,* Cant. 3. . . . *REFL.* Si nos interrogaremur, sicut Christus interrogavit Mariam ad Sepulchrum: *Mulier, quid ploras? quem quaeris?* Ioan. 20. Quid responderemus? . . . *VOL.* Corrigamus affectum nostrum, qui alia quaerit extra Iesum: ut nobis possit dici quod Angeli dixerunt mulieribus, Matth. 28. *Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quaeritis.* Iungamus igitur *desideria* nostra cum *desideriis* Petri . . .

PVNCT. III. — OPERA — *MEM.* Petrus *introivit in Monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum,* Ioan. 20. . . . *INTEL.* Discamus hinc quod si velimus Iesum quaerere gloriosum, prius cum Petro eundum sit ad Sepulchrum, et introeundum sedula meditatione: nam Petrus meditando de iis, quae viderat in Sepulchro, erat *secum mirans, quod factum fuerat,* Luc. 24. . . . *REFL.* Examinemus quomodo nos simus affecti erga meditationem de *passione et morte* Christi . . . *VOL.* Nos quoque introeamus in meditationes de Christo crucifixo, mortuo, et sepulto; ut postquam *compassi fuerimus* cum ipso, *congaudeamus* cum ipso redivivo...

COL. De *duobus Vexillis*: (Lib. Exerc. pag. 151.) nam Vexillum Christi est Crux Christi, quae ducit ad gloriam . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO X.

De apparitione quarta, Luc. 24.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 293.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo Christus sese ostenderit Petro cogitanti de his, quae viderat in Sepulchro.

PRAEL. II. Videre locum in quo Petrus cogitabundus manebat.

PRAEL. III. Petere gratiam *bene quaerendi, et inveniendi Christum, eique congaudendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum Petro apparentem. *Nam surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni*, Luc. 24. . . . *INTEL.* Credibile est Dominum non apparuisse Petro in minori *gloria*, quam olim in *transfiguratione*. Petrus igitur, qui *lugebat* eo quod Solem iustitiae perdidisset, tandem sic invenit plenam *consolationem* . . . *REFL.* In nobis non invenitur eiusmodi illuminatio et consolatio, quia luctus noster magis est de amissione et carentia vilis *rei temporalis*, quam *Solis iustitiae*, qui est Christus... *VOL.* Nos suspiremus ad solum Christum vilipendentes caetera, et dicentes: *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*, Phil. 3.; et ad Christum: *Illustra faciem tuam super servum tuum*: tunc enim exclamabimus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!* Ps. 30. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Cogitemus quid dixerit Petrus videndo particulam gloriae Christi redivivi . . . *INTEL.* Dixerat in transfiguratione: *Domine, bonum est nos hic esse*, Matth. 17. Nunc etiam dicere potuit: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, Cant. 3. Dixerat ancillae: *Quia non novi hominem*, Matth. 26 : nunc autem sicut olim iterum dicit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, Matth. 16. . . . *REFL.* Nos quoque postquam Christus vocando nos

ad *Societatem suam* quodammodo apparuit nobis, debemus aliter loqui, quam quando eramus in saeculari conversatione . . . *VOL.* Imitemur Petrum, et cum Paulo 1. Cor. 13. dicamus; *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli.* Decet nos non nisi cum Deo, vel de Deo loqui . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Recordemur quomodo Petrus cucurrerit ad Monumentum, viderit linteamina posita, ac postea meditabundus super illis viderit Christum redivivum . . . *INTEL.* Nimirum alia non est via videndi Christum redivivum, quam cursus ad Monumentum; hoc est ad meditationem *paupertatis, opprobriorum*, et *passionis Christi*, praemissa tamen in prima Hebdomada *vera poenitentia*; nam Petrus antea *flevit amare* . . . *REFL.* Nos hinc discamus quare non fiamus *participes* gloriae Christi et felicitatis, quia nempe non satis cum Petro in Mysteriis *primae*, et *tertiae hebdomadae* versati sumus . . . *VOL.* Doleamus de negligentia nostra; et per poenitentiam, et meditationem, ac imitationem passionis Christi paremus nos, ut participes fiamus eius gloriae iuxta illud quod idem Petrus nos docuit: *Communicantes Christi passionibus gaudete; ut et in revelatione gloriae eius gaudeatis exultantes*, 1. Pet. 4. . . .

PVNCT. IV. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* Repraesentemus nobis Christum apparentem Petro, qualis apparuerat illi in monte . . . *INTEL.* Petrus, quamvis a longe Dominum in passione secutus fuerit, vidit tamen quando Divinitas se abscondebat, et permittebat Christum capi, ligari, opprobriis saturari etc.: nunc autem vidit Divinitatem tot signis et miraculis se prodentem. Hinc illae ipsius voces: *Deus et Pater* . . . *regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in haereditatem incorruptibilem etc.* 1. Pet. 1. . . . *REFL.* Eandem *spem vivam* oportet nos quoque habere . . . *VOL.* Excitemus *fidem*

et *spem* cum Christo conregnandi et *hac spe* roboremus nos, dum in hac vita permittit nos Deus aliquid *pati* ...

PVNCT. V. — SOLATIVM IN HAC VITA. — *MEM.* Recolamus totam seriem rei gestae, de qua meditamur ... *INTEL.* Perpendamus, quomodo Christus *consolatus* sit Petrum: primum quidem per mulieres ad eum missas; deinde per inspectionem linteaminum absente corpore; denique per seipsum ... *REFL.* Sic Deus per intervalla, et gradus quosdam nos quoque consolatur ... *VOL.* Laudemus Deum qui est *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis; qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt*, 2. Cor. 1. Gratias Deo agamus ingenti affectu ...

COL. Per quae petamus *fortitudinem patiendi* mixam *spe gaudendi* cum Christo.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XI.

De Apparitione quinta, Luc. 24.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 294.)

CONGR. Delibare instantem meditationem, et excitare desiderium congaudendi Christo.

PRAEL. I. Quomodo apparuerit duobus euntibus in Emmaus, et de se loquentibus.

PRAEL. II. Imaginari sibi viam in Emmaus.

PRAEL. III. Petere gratiam *recte ambulandi, et loquendi cum Christo in oratione.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Convertamus oculos ad discipulos duos euntes in Emmaus ... *INTEL.* Notemus illos fuisse in quadam desolatione, quae est *animae obtenebratio ... trahens in diffidentiam, unde se anima tristari ... sentit.* Reg. 4. Hebd. 1. disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 307.) ... *REFL.* Notemus no-

bis quoque in via spirituali nonnunquam obvenire eiusmodi obtenebrationem et desolationem . . . *VOL.* Statuamus in eiusmodi desolatione dirigere nos iuxta Reg. 6. ibid. (Lib. Exerc. pag. 308); et insistere *orationi* dicendo; *Deus meus illumina tenebras meas*, Ps. 17. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus quid discipuli illi inter se loquantur . . . *INTEL.* Nimirum loquebantur de iis, quae de Christo audiverant, et viderant; tum de eius morte, tum de resurrectione . . . *REFL.* Nos vero in desolatione saepe vanos sermones amamus, ut dici de nobis possit; *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*, 2. Tim. 4. . . . *VOL.* Nos deinceps studeamus de Mysteriis divinis cogitare et loqui, nobisque dictum putemus *ineptas autem et aniles fabulas devita*, 1. Tim. 4. *Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam*, Tit. 2. De similibus si non clare intelligendo, saltem inquirendo loquamur, sicut loquebantur hi discipuli . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Meminerimus, quod discipuli illi iverint in Emmaus . . . *INTEL.* *Emmaus* significat *timens consilium.* Discedebant discipuli illi a Petro et Apostolis, a quibus poterant *petere et accipere consilium* in sua desolatione . . . *REFL.* Sic nos timemus interdum *consilium petere* a Superiore, vel Confessario. Nam *inimicus noster . . . summopere procurat, ut verba et consilia sua occulta sint*, Reg. 13. Hebd. 1. disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 311.) . . . *VOL.* Detestemur inimicum illum, qui est *spiritus tenebrarum*, et in campo babylonico sedet in *cathedra fumosa.* Servemus reg. Summ. 41.; nec *celemus* tentationes nostras, sicut ibi praescribitur . . .

PVNCT. IV. — Quid Divinitas. — *MEM.* Christus ambulat cum discipulis illis specie peregrini . . . *INTEL.* Latebat quidem Divinitas sub specie peregrini: ingens tamen erat miraculum, quod post mortem Christus redivivus pro arbitrio suo, quocumque modo, quocumque vellet loco, se sisteret . . . *REFL.* Haec est *libertas* filiorum Dei, quae post mortem

etiam nos manet . . . *VOL.* Consolemur nos certa spe similis *libertatis*, quam consequemur, si hic propter Christum nostra nos *libertate* exuerimus. *Suscipe*, *Domine*, *universam libertatem meam*, *etc.* (Lib. Exerc. pag. 221.) . . .

PVNCT. V. — SOLATIVM IN HAC VITA. — *MEM.* Maneamus aspicientes Christum ambulantem cum discipulis, qui ipsum non agnoscebant . . . *INTEL.* Attamen Christi quamvis non agniti consortium ipsis non parvum levamen erat in desolatione . . . *REFL.* Sic nobiscum in desolatione iuxta reg. 7. Hebd. 1. de disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 308.) agitur saepe, *assistente nobis iugiter praesidio divino*, *licet tunc nequaquam sentiatur aut cognoscatur* . . . *VOL.* Dicamus proinde fidenter in desolatione, *Dominus a dextris est mihi ne commovear*, Ps. 15.

COL. De *duobus Vexillis* (Ibid. pag. 151.); petendo *donum fortitudinis* contra insidias inimici, et *spem futurae gloriae*, ac praesentis praesidii in *hac vita*.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XII.

De apparitione quinta, Luc. 24.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 294.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo Christus redarguerit incredulitatem discipulorum euntium in Emmaus, eosque docuerit.

PRAEL. II. Prosequi mentis oculis Christum cum iis ambulantem.

PRAEL. III. Petere gratiam *verae et ferventis fidei.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus duos illos discipulos ambulantes et tristes: nam Christus dicebat illis, *et estis tristes?* Luc. 24. . . *INTEL.* *Tristitia* illa oriebatur ex *defectu spei*: dicebant enim; *Nos autem sperabamus*, redemptionem scilicet Israel,

et resurrectionem; indicantes se quasi *spe* illa jam excidisse; . . *REFL.* Sic in nobis *defectus spei* saepe causa est *desolationis et tristitiae*; quamquam iuxta reg. 4. Hebd. 1. disc. spir. (Lib. Exerc. pag. 307.) ipse ille defectus est quoque desolatio, et auget desolationem . . . *VOL.* Caveamus nobis ab illo *spei defectu* ne forte occupet nos quoque *tristitia et desolatio*. Excitemus actus *spei*, quibus sacra Scriptura, et Psalmi pleni sunt: dicamus Deo; *Laetentur omnes, qui sperant in te*, Ps. 5. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit illis, *O stulti, et tardi corde ad credendum!* Luc. 24. . . . *INTEL.* Audiverant Christum loquentem non tantum de sua passione; sed etiam de gloria resurrectionis: *stulti* vocantur, quia *non satis* credebant . . . *REFL.* Nos quoque in contemplatione *Regni Christi* audivimus Christum loquentem de *laboribus* suis, et de *gloria* Regni sui: et ibi quoque bene subiungitur *neminem fore sanae mentis*, qui non credat nec sequatur Christum . . . *VOL.* Confiteamur et dicamus Deo; *Tu scis insipientiam meam*, Ps. 68. Sed deinceps petamus donum *sapientiae*, et *intellectus* ad intelligendam illam veritatem: *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24.; et ad idem credendum, et nobis applicandum . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Cogitemus quomodo Christus redarguerit ipsorum incredulitatem... *INTEL.* Sane redarguit illos *severe*, et verbis satis asperis, *o stulti etc.* . . . *REFL.* Hinc discamus quod nonnunquam errantes redarguendi sint *severius*, ut reducantur in viam salutis. *Argue, obsecra, increpa*, ait Apost. 2. Tim. 4. . . . *VOL.* Resuscitemus in nobis *zelum* pro gloria Dei et salute proximi. Dicamus cum Propheta, Ps. 72. *quia zelavi super iniquos* . . .

PVNCT. IV. — Qvid divinitas. — *MEM.* Christus *incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant*, Luc. 24. . . . *INTEL.* Potuissent ex tanta notitia Scri-

pturarum discipuli illi cogitatione concipere aliquid divinum latere in peregrino illo, et mirari *quomodo hic litteras scit, cum non didicerit*, Ioan. 7. . . . *REFL.* Talis scientia Sanctorum manet nos post hanc vitam si Christum bene secuti fuerimus. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte etc.* 1. Cor. 13. . . . *VOL.* Hinc animos nostros erigamus ad strenue laborandum cum Christo. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Ps. 16. . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Discipuli illi avidissime audiebant Christum, et toti pendebant ex ore ipsius . . . *INTEL.* Sicut qui audiunt pulcherrimam orationem, aut expositionem arcanae doctrinae, cum gustu et solatio illum audiunt: sic discipuli illi delectabantur illa interpretatione Christi . . . *REFL.* Sic Deus *consolatur* nos in hac vita loquendo et erudiendo nos vel per *Scripturas*, vel per alios *libros pios*, vel per *inspirationes* interiores, etc. . . . *VOL.* Agamus gratias pro tot modis consolandi nos in hac vita. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Ps. 118. . . .

COL. Quibus petamus gratiam *verae fidei, spei, et charitatis:* ut magnis animis militemus sub vexillo Christi . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XIII.

De apparitione quinta, Luc. 24.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 294.)

CONGR. Desiderium magis cognoscendi Christum redivivum, eique congaudendi.

PRAEL. I. Quomodo Christus rogatus manserit cum discipulis, agnitusque in fractione panis disparuerit, et illi subito reversi in Hierusalem narraverint omnia Apostolis.

PRAEL. II. Aspicere locum, in quo Christus agnitus fuit ex fractione panis.

PRAEL. III. Petere gratiam *cognoscendi et amandi Christum, eumque aliis annuntiandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus discipulos illos cum Christo in Emmaus coenantes . . . *INTEL.* Contemplemur illos totos in revolvendo colloquio habito in via, et fixos in contemplatione Christi praesentis . . . *REFL.* Sic nos, si in colloquiis et studiis spiritualibus sedulo versemur, bene observabimus regulam 5. et 7. *de victu*; neque animus tam *effusus* erit super sumendos cibos . . . *VOL.* Decernamus *regulas* illas nobis reddere *familiares*, et Christum nobis ubique habere praesentem, ne nimium capiamur *gustu* rerum vanarum.

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus discipulos illos primo loquentes ad Christum: *Mane nobiscum, quoniam advesperascit*, Luc. 24.; deinde Hierosolymis narrantes aliis discipulis quae audiverant et viderant . . . *INTEL.* Locuti fuerant ferventer cum Christo, ideo etiam apud alios de Christo instituebant colloquia . . . *REFL.* Sic contingit nobis, si in meditatione ferventia cum Christo instituerimus colloquia, apud alios labia nostra *memoriam abundantiae suavitatis* Christi *eructabunt*, Ps. 144. At *frigidi* in meditatione ad *fabulas* convertuntur . . . *VOL.* Concipiamus animos ad *ferventia* in meditatione cum Deo, et apud alios de Deo *colloquia*. Doleamus de *languore* nostro in utroque, et meliora deinceps ex *charitate* erga Christum exerceamus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Discipuli *cognoverunt eum in fractione panis* . . . *et ipse evanuit ex oculis eorum*, Luc. 24. . . . *INTEL.* Si consideremus totum hoc mysterium, possumus Christo dicere; *tu es Deus absconditus*, Is. 45. nam antea abscondit se sub specie hortulani; nunc sub specie peregrini; atque etiam sub specie panis iuxta SS. Patres, qui censent ipsum hic *consecrasse*: et denique evanuit, totumque

se abscondit ab oculis eorum . . . *REFL.* Perpendamus similia fieri in sacra *Communione* . . . *VOL.* Prostrati ante venerabile Sacramentum summo cum affectu dicamus: *Adoro te devote, latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas*, etc.

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Totum mysterium uno quasi aspectu complectamur . . . *INTEL.* Noteuius quod quamvis Divinitas, imo et ipsa humanitas Christi sub specie peregrini abscondita lateret, tot tamen signis et miraculis se prodiderit, ut si Christus divinitatis suae fulgorem non sic temperasset, mortales discipulorum oculi non potuissent in lucem illam inaccessibilem intendere. Sed accessus ad illam lucem reservatur post hanc mortalem vitam . . . *REFL.* Inde applicemus nobis illud 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem . . . VOL.* Credamus, et speremus hanc vitam aeternam. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Ps. 43.

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM. Discipuli surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem*, Luc. 24. . . . *INTEL.* Apparet alacritas et celeritas in regrediendo: nam pleni erant gaudio, pleni igne charitatis: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* dicebant inter se. Sic pleni erant consolatione Spiritus Sancti . . . *REFL.* Cum hoc *fervore* comparemus nostrum *languorem* . . . *VOL.* Convertamus nos totos ad Deum non dubitantes de *solatiis* ipsius nobis communicandis etiam in *hac vita*. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, Ps. 118. . . .

COL. Plena *fide* et *spe* erga Christum tam amabilem Regem nostrum.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XIV.

De apparitione sexta, Ioan. 26.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 295.)

CONGR. Sicut dictum supra.

PRAEL. I. Quomodo discipuli omnes praeter Thomam congregati fuerint propter metum Iudaeorum.

PRAEL. II. Locum mente intueri, in quo erant congregati.

PRAEL. III. Petere gratiam *inter adversa Christo constanter adhaerendi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Respiciamus discipulos congregatos . . . *INTEL.* Consideremus illos *sicut oves in medio luporum*, Matth. 10., hoc est in medio Iudaeorum, qui militabant sub vexillo diaboli . . *REFL.* Cogitemus nos etiam esse in mundo in medio adversariorum, per quos dux impiorum conatur nos perdere: concludamus proinde nos etiam debere esse *congregatos*, hoc est *unitos charitate fraterna* . . . *VOL.* Petamus gratiam *verae et sincerae charitatis fraternae*, qua invicem diligamus non ob motiva naturalia, sed propter Deum.

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Cogitemus sermones, quos id temporis et loci habuerunt discipuli inter se . . . *INTEL.* Haud dubie invicem in memoriam revocabant quae Christus praedixerat de sua resurrectione: *Postquam autem resurrexero praecedam vos in Galilaeam*, Matth. 26.; *et tertia die resurget*, Matth. 20.; et his similia . . . *REFL.* Discamus nos quoque talia cogitare et loqui, dum sumus in *tribulatione* . . . *VOL.* Cum Iobo in angustiis et persecutionibus dicamus: *Scio enim quod Redemptor meus vivit, et de terra surrecturus sum;* etc. Iob. 19.

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Cogitemus quomodo discipuli sic congregati sibi invicem animos fecerint, et conati sint metum Iudaeorum superare . . .

INTEL. Haud dubie Petrus fecit ibi quod ipsi mandaverat Christus Luc. 22.; *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* . . . *REFL.* Sic etiam debemus nos ipsos, et alios fratres nostros confirmare contra metum et terriculamenta, quae per suos ministros solet iniicere daemon . . . *VOL.* Imitabimur in hoc deinceps spiritum bonum, *cui proprium consuetumque est recte agentibus animum ac vires addere*, etc. Reg. 2. Hebd. 1. *disc. spir.* idque divinis, non humanis rationibus. *Sederunt principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis*, Ps. 118. Hoc modo nos, et alios confirmemus in persecutionibus, quas suscitat daemon . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 145.), petendo *exploratas habere* fraudes mali daemonis, et gratiam *eas vitandi*, . . .

RECOLLECTIO, REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XV.

De apparitione sexta, Ioan. 20.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 295.)

CONGR. Desiderium Christo redivivo congaudendi.

PRAEL. I. Quomodo Christus ad discipulos congregatos ingressus sit ianuis clausis.

PRAEL. II. Videre conclave, quod Christus ingressus est.

PRAEL. III. Petere *charitatem, gaudium, et pacem Christi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus et recenseamus discipulos congregatos . . . *INTEL.* Aberat Thomas; sed videntur ex Emmaus accessisse discipuli duo illi, et in illa congregatione participes fuisse clarae apparitionis Christi, quem absentes tantummodo cognoverunt cum evanesceret ex oculis eorum . . . *REFL.* Hinc possumus aestimare vocatio-

nem nostram ad Congregationem, et *Societatem Iesu*. Nam in Religioso convictu Christus se suaque mysteria clarius communicat, sicut S. Bernardus alicubi describit . . . *VOL*. Agamus gratias pro *tanto beneficio*, et petamus gratiam *perseverantiae*.

PVNCT. II. — Verba. — *MEM*. Christus *dixit eis: Pax vobis*, Ioan. 20. . . . *INTEL*. Haec est pax, *quae exsuperat omnem sensum*, Phil. 4. Oritur vero ex *charitate*; nam Gal. 5. inter fructus Spiritus Sancti primo loco ponitur *charitas*; deinde sequitur *gaudium, pax*. De hac pace dixerat Christus Ioan. 14. *Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis*: nam pax mundana non oritur ex *charitate* Dei, sed ex *carnis, sensuum, amorisque proprii, et mundani rebellione* . . . *REFL*. Examinemus qualis sit pax nostra . . . *VOL*. Cum singulari affectu dicamus quod Sacerdotes toties legunt ex 2. Thess. 3. in Officio divino: *Dominus autem dirigat corda, et corpora nostra in charitate Dei, et patientia Christi*...

PVNCT. III. — Opera. — *MEM*. Christus *stetit in medio*, Ioan. 20. . . . *INTEL*. Hoc est, quod dixerat Matth. 18.; *ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* . . . *REFL*. Videamus an nos in nomine Christi, hoc est in vera *fraterna charitate* congregati simus? . . . *VOL*. Cum ingenti desiderio oremus cum Ecclesia: *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde, ut quos uno pane coelesti satiasti, tua facias pietate concordes* . . .

PVNCT. IV. — Quid Divinitas. — *MEM*. *Cum . . . fores essent clausae . . . venit Iesus*, Ioan. 20. . . . *INTEL*. Christus in passione sua ligabatur, tenebatur, et abscondente se Divinitate, videbatur omnem libertatem amisisse. Nunc exerit se Divinitas; et adeo liber est, ut nullis parietibus, nullis carceribus possit impediri . . . *REFL*. Hoc est donum *penetrabilitatis*, sive *subtilitatis*, quae nobis dabitur in Coelo, si hic *laborum* Christi participes fuerimus . . . *VOL*. Reponamus cum Iob spem hanc in sinu nostro: *Seminatur*

corpus animale, surget corpus spiritale, 1 Cor. 15. . . .

PVNCT. V. — Solatium in hac vita. — *MEM.* Christus *dixit eis: pax vobis*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* Cogitemus quantum solatii habuerint discipuli ex illa voce, quae poterat detergere omnem metum Iudaeorum . . . *REFL.* Sic Christus, dum militamus sub eius vexillo, *consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 1. . . . *VOL.* Clamemus cum Apostolo Rom. 8.: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia?* etc.

COL. Conformia *tertio humilitatis modo* (Lib. Exerc. pag. 165.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVI.

De apparitione sexta, Ioan. 20.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 296.)

CONGR. Solita.

PRAEL. I. Quomodo Christus dederit ibi discipulis Spiritum Sanctum.

PRAEL. II. Aspicere conclave, in quo Christus erat apud discipulos.

PRAEL. III. Petere cum discipulis *gratiam Spiritus Sancti*.

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Aspiciamus Christum stantem in medio discipulorum . . . *INTEL.* Non narratur qua specie apparuerit tunc discipulis: certum tamen est illum apparuisse *valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem* (Lib. Exerc. pag. 149.); ita ut solo aspectu suo oblivionem induceret metus Iudaeorum . . . *REFL.* Nos quoque in tribulatione solatium quaerere debemus a Christi praesentia . . . *VOL.* Prosternamus nos in tribulatione ante Christum in venerabili *Eucharistia* latentem, dicentes: *Ostende faciem tuam, et salvi erimus*, Ps. 79. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit: *Quo-*

rum remiseritis peccata, remittuntur eis, Ioan. 20. . . *INTEL.* Perpendamus quantum beneficium per haec verba tribuatur fragilitati humanae, ut dum quis peccatis *gravatur*, habeat a quo *liberetur* . . . *REFL.* Consideremus quomodo in remedium nostrae fragilitatis hactenus Sacramento *poenitentiae* usi fuerimus? . . . *VOL.* Accusemus languorem nostrum, statuamusque *partes* omnes huius Sacramenti *bene observare* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus dedit discipulis potestatem *remittendi*, et *retinendi* peccata . . . *INTEL.* Consideremus quomodo discipuli potestate illa usi sint in bonum aliorum. Nempe dum magno labore, exemplo Christi, exierunt per Synagogas, Villas, et Oppida praedicando poenitentiam, et peccatores sanando, etc. *REFL.* Componamus *zelum* nostrum cum *zelo* illo discipulorum . . . *VOL.* Decernamus deinceps imitari discipulos et Christum, et cum illa *patientia* et *mansuetudine* suscipere, dirigere, instruere, et iuvare peccatores, sicut ipsi fecerunt . . .

PVNCT. IV. — Qvid patiatvr. — *MEM.* Iterum repraesentemus nobis Christum stantem in medio eorum . . . *INTEL.* In quacumque specie apparuerit Christus, dubitare non debemus quin *claritas*, quae est una ex dotibus corporis gloriosi, aliquatenus se prodiderit, et *decorem* ac *pulchritudinem* in corpus ac faciem eius asperserit . . . *REFL.* Nos quoque post hanc vitam, *cum apparuerit, similes ei erimus*, 1. Ioan. 3. . . . *VOL.* Certemus sub vexillo Christi fortes in *fide* et *spe* futurae illius gloriae . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Christus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*; Ioan. 20. . . . *INTEL.* Perpendamus *quam prompto copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio*; dat ipsis ipsum *Consolatorem* . . . *REFL.* Sic nos quoque consolabitur Christus, si numeret nos inter *suos*, qui militant sub eius vexillo . . . *VOL.* Petamus nos quoque Spiritum Sanctum: *Veni Sancte Spiritus*, etc. *Consolator optime*, etc. *In fletu solatium*, etc. . . .

COL. De *duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.), petendo *fidem*, *et spem*, *ac dona et fructus* Spiritus Sancti.

RECOLLECTIO. REPETITIO.
APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XVII.

De apparitione septima. Ioan. 20.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 296.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Quomodo S. Thomas, qui absens fuerat, protestatus sit se non crediturum, nisi viderit.

PRAEL II. Locum, ubi protestatio illa contigit, intueri.

PRAEL. III. Petere gratiam *fidei, spei, et charitatis.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Contemplemur Thomam segregatum a reliquis et solitarium . . . *INTEL.* Non solum aberat ab aliis corpore, sed etiam mente. Nam cum alii crederent esse vera, quae narraverant mulieres, et discipuli reduces ex Emmaus; (hi enim *invenerunt congregatos undecim*, Luc. 24., adeoque et Thomam) ipse dissensit ab eis: unde et ipsi potissimum applicatur illud Lucae ibidem, *et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis.* Hinc igitur cogitabundus abiit, et segregatus mansit ad aliquod tempus . . . *REFL.* Discamus hinc quam noxium sit pertinaciter resistere *communi* aliorum *sensui* . . . *VOL.* Amplectamur toto corde regulam Summ. 41.: *Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes:* et reg. 28. Comm.: *Nullusque cum alio contendat,* etc. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Dixerunt ergo ei alii discipuli: vidimus Dominum*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* En ut alii discipuli verbis et rationibus bonis conati sunt membrum illud quodammodo a se avulsum conservare, et sibi iterum aggregare . . . *REFL.* Hoc

a nobis etiam exigit *fraterna charitas:* hic est enim spiritus Dei . . . *VOL.* Dicamus cum Deo Ezechiel. 34.: *Quod perierat, requiram; et quod abiectum erat, reducam; et quod confractum fuerit, alligabo; et quod infirmum fuerit, consolidabo*: ad hoc vero faciendum curemus, ut verba et *rationes modeste et cum charitate afferantur*, etc. Reg. comm. 28. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Thomas mansit pertinax dicendo: *Nisi videro*, etc. *non credam*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* Causa huius pertinaciae fuit genus quoddam desolationis et tentationis, cui, ut oportebat, non restitit. Nam oratio eius tam perturbata indicat, quod spiritus malus *sophisticis argumentis quibusdam* ipsum occupaverit, et quod esset in eo *inquietudo, et agitatio sive tentatio . . . spem, charitatemque expellens;* prout desolatio describitur reg. 4. Hebd. 1. *disc. spir.* (Lib. Exerc. pag. 307.) . . . *REFL.* Hinc discimus quanta mala oriantur, quando desolationi non satis cito, nec satis fortiter resistitur . . . *VOL.* Studeamus deinceps diligenter non solum ut ex Regulis *de discernendis spiritibus* remedia contra desolationes probe intelligamus: sed etiam ut eadem constanter, et prompte adhibeamus . . .

COL. *De duobus Vexillis*, petendo ut possimus *exploratas habere fraudes mali ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas* (Lib. Exerc. pag. 147.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XVIII.

De apparitione septima. Ioan. 20.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 296.)

CONGR. Christo redivivo congaudere.

PRAEL. I. Quomodo Christus post dies octo, iterum ianuis clausis, apparuerit, et Thomam de incredulitate admonuerit.

PRAEL. II. Videre cubiculum illud clausum.

PRAEL. III. Petere gratiam *reducendi aberrantes ad suum finem, et ad Vexillum Christi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Post dies octo iterum erant discipuli eius intus; et Thomas cum eis,* Ioan. 20. . . *INTEL.* Videamus Thomam, qui ante erat quasi absconditus, nunc reductum et consistentem *in consilio iustorum, et congregatione,* Ps. 110. Atque hoc fuit initium eius felicitatis . . . *REFL.* Sic nobis etiam evenit, dum in tentatione *absconditi* sumus, et *fugimus* oculos Superiorum et directorum nostrorum, facile superamur a malo spiritu: initium vero victoriae oritur a *reditu* ad illos *exponendo* oculis eorum omnia, quod horret diabolus . . . *VOL.* Si aliquando tenebras illas quaesiverimus, dicamus; *erravi sicut ovis quae periit,* Ps. 118.; et servemus pulcherrimas regulas de hac *materia,* quas in Instituto nostro habemus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit Thomae: *Infer digitum tuum huc, et vide . . . et noli esse incredulus, sed fidelis,* Ioan. 20. . . *INTEL.* Consideremus haec verba Christi carentia omni acerbitate, et plena *mansuetudine* . . *REFL.* Discamus hinc quod dum quis alium *videt desolatione affici seu tentatione, cavere debet ne se durum vel austerum illi exhibeat; sed mitem potius ac suavem praestet,* Annot. 7. inter 20. (Lib. Exerc. pag. 56.) . . . . *VOL.* Doleamus si aliter fecerimus, et memores simus Apostoli, qui dicit: *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne et tu tenteris:* Gal. 6. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus apparens statim se convertit ad Thomam, dicens: *Infer digitum tuum,* etc. . . . *INTEL.* Sic Christus opere confirmavit id quod docuerat Matth. 18. de quaerenda ove perdita, etiam relictis nonaginta novem . . . *REFL.* Talis debet esse *zelus* noster in convertendis errantibus . . . *VOL.* Excitemus *zelum* nostrum erga peccatores: *Vidi*

praevaricantes et tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt, Ps. 118. . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Iterum *venit Iesus ianuis clausis... deinde dicit Thomae*, etc.... *INTEL.* In passione dicebant Iudaei Christo: *Prophetiza, quis est qui te percussit?* Luc. 22. Ipse autem *tamquam surdus* non audiebat, quia abscondebat se Divinitas. Nunc autem exerit se Divinitas, et ostendit se audivisse omnia, quae dixerat Thomas ... *REFL.* Si cum Christo hic *absconditi* simus, et *iniurias* patiamur, etiam nos manet *talis gloria*, quando videbimus eum; tunc enim illuminabit tenebras nostras ... *VOL.* Fortes in *fide*, et pleni *spe* dicamus cum Apostolo: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*, I. Cor. 13. . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Apparens Christus, antequam alloqueretur Thomam, omnibus *dixit, pax vobis*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* Sic *Christus solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos, et iniustos*, Matth. 5.; solem et pluviam consolationis tribuens credulis, et incredulis . . . *REFL.* Cogitemus quomodo nos quoque aberrantes a via virtutis, nihilominus senserimus aliquos *radios divini luminis*, quibus invitabamur ad *pacem*... *VOL.* Gratias magnas Deo agamus pro tanta misericordia, *quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multo igitur magis nunc iustificati*, etc. Rom. 5. . . .

COL. Quibus petamus gratiam *nos ipsos*, deinde *alios reducendi in viam.*

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XIX.

De apparitione septima, Ioan. 20.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 297.)

CONGR. Nos ipsos ad amorem Christi redivivi excitare.

PRAEL. I. Quomodo Thomas agnoverit Christum et crediderit.

PRAEL. II. Mente intueri locum illum clausum.

PRAEL. III. Petere gratiam *cum Thoma coniungendi affectus nostros erga Christum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Intueamur Christum apparentem Thomae . . . *INTEL.* Contemplemur quinque *Vulnera*, in quibus haud dubie aliquid gloriae emicabat, erantque signa ac testimonia certa et clara divini *amoris et misericordiae* in Thomam, et in omnes homines . . . *REFL.* Applicemus etiam nobis illa *Vulnera*, tamquam nostra causa et pro nostra redemptione suscepta . . . *VOL.* Provoluti ante imaginem Crucifixi dicamus ea, quae affectus suggeret . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Thomas exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus!* Ioan. 20. . . . *INTEL.* Thomas commotus, et quodammodo liquefactus ex aspectu et tactu *Vulnerum* Christi, prae affectus vehementia non potuit nisi illa duo verba proferre, quae sexcentis studiose quaesitis verbis aequivalent et praevalent: nam sensus plurimos, et profundissimos continent . . . *REFL.* Nos vero verba illa scrutemur, et inveniemus in iis latere quidquid in *Fundamento*, in *Hebdomada prima*, in contemplationibus *Regni Christi*, de *duobus Vexillis*, aliisque meditati sumus . . . *VOL.* Igitur pleni affectibus praecedentium meditationum exclamemus pariter cum Thoma; *Dominus meus, et Deus meus!* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Subintulit Christus: *Beati qui non viderunt, et crediderunt*, Ioan. 20. . . .

INTEL. Ex his verbis ratiocinemur Christum tamquam amantissimum Medicum ita voluisse sanitatem Thomae reddere, ut medicina et operatio sua etiam aliis incredulitate laborantibus prodesset . . . *REFL.* Concludamus igitur, quod nobis quoque debeat prodesse; sed discamus simul, quod in *vita Apostolica* bonum *universale* debeamus praeferre *particulari*, et curare ut remedia, quae proximo impendimus, in quam plurimos redundent; hoc S. P. noster variis modis nobis inculcat . . . *VOL.* Omni studio conemur intelligere, et adhibere *modos duos eligendi* (Lib. Exerc. pag. 129. et seqq.), ut negotia omnia cum maximo, qui haberi poterit, fructu ordinemus . . .

COL. Quibus oremus, ut Deus *dignetur mentem instruere, et impellere voluntatem quocumque potius nobis tendendum sit* (Ibid. pag. 181.) . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XX.

De apparitione octava, Ioan. 21.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 297.)

CONGR. Laetari cum Christo redivivo. . .

PRAEL. I. Quomodo Christus apparens septem discipulis piscantibus, effecerit, ut multos pisces caperent. . .

PRAEL. II. Aspicere mare, in quo haec fiebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *ut Christum imitando in laboribus, postea conregnemus cum ipso.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM. Mane autem facto, stetit Iesus in littore: non tamen agnoverunt discipuli, quia Iesus est*, Ioan. 21. . . *INTEL.* Contemplemur ergo Iesum stantem in tali specie, ut non agnosceretur. . . *REFL.* Sic interdum Christus nobis adest: sed *quasi absconditus vultus eius*, Isa. 53.; *assistente nobis praesidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur*, Reg. 7. Hebd. 1. disc. spir. . . *VOL.* Coram

venerabili *Eucharistia* dicamus: *Tu es Deus absconditus*, Isa. 45. *Adoro te devote latens Deitas*, etc. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus Christum de piscatione loquentem, et dicentem eis: *Mittite in dexteram navigii rete*, Ioan. 21. . . . *INTEL.* Christus incipit loqui de eorum negotio *temporali*, ut illos deducat ad piscationem *spiritualem* . . . *REFL.* Sic nos debemus cum proximis incipere loqui de *temporalibus*, ut ipsi deinde finiant loquendo de *spiritualibus*, iuxta consilium S. P. nostri . . . *VOL.* Cum Apostolo dicamus: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*, 1. Cor. 9. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Discipuli *ascenderunt in navim*, et *illa nocte nihil prendiderunt*, Ioan. 20. . . . *INTEL.* En *paupertatem* coniunctam cum eius *effectibus*, cum *vigiliis*, cum *labore* etiam irrito . . . *REFL.* Si tales pauperes fuerimus, Christus etiam libenter veniet ad nos . . . *VOL.* Iuxta reg. 24. Summ. *lubenter* effectus *aliquos paupertatis* experiamur . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Iactum rete ad Christi mandatum *iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium*, Ioan. 21. . . . *INTEL.* Divinitas in passione abscondita iterum se nunc prodit tam manifesto miraculo . . . *REFL.* Necesse est ut nos quoque per *humilitatem absconditi* simus coram hominibus; si velimus postea introire in potentias Domini, et *regnare* cum ipso . . . *VOL.* Renovemus affectus *tertii modi humilitatis*, nixi *spe regnandi* cum Christo . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Iterum consideremus miraculum multitudinis piscium . . . *INTEL.* Ratiocinemur *solatium*, et *gaudium magnum* fuisse discipulis illis in captura piscium, et prorsus accommodatum illorum opificio . . . *REFL.* Sic Deus, ut ex historiis etiam constat, solet in hac vita suos *solari* etiam *temporalibus* beneficiis . . . *VOL.* Statuamus semper nobis ob oculos illud Christi dictum: *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus,*

aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis, Matth. 6. . .

COL. Quibus petamus *gratiam spei* inter *labores* huius vitae, qua expectemus a Deo tum *felicitatem futurae vitae*, tum *praesentis solatium* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXI.

De apparitione octava, Ioan. 21.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 198.)

CONGR. Desiderium cognoscendi magis, et amandi Christum.

PRAEL. I. Quomodo Christus agnitus fuerit, et quomodo Petrus desiliens in mare ad ipsum accesserit.

PRAEL. II. Locum speculari non procul a littore, ubi haec fiebant.

PRAEL. III. Petere gratiam *agnoscendi Christum*, et *ad eum accedendi*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM*. Respiciamus singulos discipulos qui erant in navi, Petrum scilicet, et Ioannem, et Thomam, et Iacobum fratrem Ioannis, et Nathanaelem cum aliis duobus . . . *INTEL*. Notemus Ioannem, qui *virgo* erat, fuisse interius *illuminatum*, et statim *agnovisse* Christum . . . *REFL*. Sic nos facile Christum *agnoscemus*, si *castitatem* et *munditiem* cordis bene servaverimus. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. . . . *VOL*. Gratias agamus Deo pro singulari beneficio, quo nos evocavit e sordibus mundanis; et renovemus *votum castitatis* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM*. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus; Dominus est*, Ioan. 21. . . *INTEL*. Ioannes non contentus interiori sua cognitione statim conatus est alios etiam illuminare, dicendo: *Dominus est*... *REFL*. Sic nos Christum annuntiando

operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, Gal. 6. . . . *VOL.* Studeamus non tantum *externos*; sed vel maxime *nostros* colloquiis nostris ad virtutis, et Christi *agnitionem* adducere . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* *Simon Petrus cum audisset quia Dominus est . . . misit se in mare*, Ioan. 21. . . . *INTEL.* Consideremus zelum Petri, qui nunc *proxime* vult sequi Christum, nec terretur mari, postquam antea fuisset illum secutus a *longe* . . . *REFL.* Applicemus hoc ad *primum tempus electionis*, *quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio imo etiam dubitandi facultas animae sublata sit, quominus sequatur impulsionem talem* (Lib. Exerc. pag. 174.) . . . *VOL.* Anhelemus ad eiusmodi impulsiones, ita tamen ut ordinarie per *secundum* et *tertium electionis tempus* procedamus, prout in libro *Exercitiorum*, et in *Directorio* explicatum est . . .

COL. Quibus petamus gratiam *sanctae illuminationis* et *piae affectionis* ad proxime accedendum ad Christum . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXII.

De apparitione octava, Ioan. 21.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 298.)

CONGR. Excitare nos ad Christi sequelam, *ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis eius.* Philip. 3.

PRAEL. I. Quomodo Christus prandium dederit discipulis; et quomodo ovile suum commendaverit Petro.

PRAEL. II. Aspicere locum in littore, ubi haec fiebant.

PRAEL. III. Desiderium *fruendi aliquando Christo, et petere gratiam id firmiter sperandi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Aspiciamus di-

scipulos, *ut . . . descenderunt in terram*, Christo praesentes . . . *INTEL.* Consideremus interiorem illorum erga Christum *reverentiam*: nam quamvis ex miraculo piscium, et ex testimonio Ioannis potius eum cognoscerent quam ex aspectu, prae *reverentia* tamen *nemo audebat . . . interrogare eum: Tu qui es? scientes, quia Dominus est*, Ioan. 21. . . . *REFL.* Talem interiorem *reverentiam* nos quoque habere debemus coram Deo ubique praesente; nominatim coram Christo in venerabili *Eucharistia* . . . *VOL.* Renovet affectus *Fundamenti*, ubi meditabamur quomodo Deum Dominum nostrum debeamus *revereri* . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM. Dicit eis Iesus: venite, prandete*, Ioan. 21. . . . *INTEL.* Perpendamus quam amabilis fuerit illa vox istis piscatoribus . . . *REFL.* Si nos vere servemus votum *paupertatis*, possumus merito etiam nobis persuadere quod Christus nobis dicat; *venite, prandete*. Nam ipse *dispersit, dedit pauperibus*; Ps. 111. . . . *VOL.* Renovemus *votum paupertatis*, statuamusque extra refectionem, sine bona Superiorum venia, *nil gustare*; tunc melius refectio sapiet a Christo data pauperibus . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Dicit eis Iesus: afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus*, Ioan. 21. . . . *INTEL.* Christus mandaverat, et dixerat omnibus: Petrus vero pro suo fervore prae aliis mandatum exequitur . . . *REFL.* Sic nos *celeres* debemus esse in *obedientia* . . . *VOL.* Renovemus *votum obedientiae*, et iuxta reg. Summ. 35. obediamus *cum magna celeritate; spirituali gaudio, et perseverantia* . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM. Et venit Iesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter: . . . et cum prandissent* commisit Petro agnos, et oves suas, hoc est Ecclesiam . . . *INTEL.* Prandium hoc coniunctum est cum multis *miraculis*, cum exercitio *magnae potestatis*, cum mirabili omnium *sola-*

tio . . . *REFL.* Convertamus nostram mentem ad refectionem coelestem, ubi Christus *faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis*, Luc. 12. . . . *VOL.* Anhelemus ad illam coelestem refectionem, et *spe certa* istius aeternae coenae consolemur exilium nostrum . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Recolamus seriem hujus apparitionis . . . *INTEL.* Ratiocinemur non potuisse ab amicissimo quoque praestari genus consolationis magis accommodatum discipulis illis. Christus *iuvat* illos in piscando, *pascit* piscibus tamquam piscatores; et in omnibus sese quasi *demittit* ad pauper eorum opificium . . . *REFL.* Sic Christus *consolabitur* labores, vigilias opprobria, paupertatem, et omnia nostra incommoda pro ipso suscepta . . . *VOL.* Hac *certa fiducia* futurae et praesentis consolationis animati, cum *magno amore* erga Dominum, et Regem tam amabilem confirmemus nos in *tertio humilitatis modo*.

COL. Huic *tertio modo humilitatis* sint conformia; sed plena *charitate pura, et desiderio fruendi* Christo in aeternum . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXIII.

De apparitione nona, Matth. 28.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 298.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo discipuli ex Christi mandato iverint ad montem Thabor.

PRAEL. II. Videre iter ad montem illum.

PRAEL. III. Petere gratiam *Christum bono modo quaerendi, et inveniendi redivivum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus disci-

pulos abeuntes *in Galilaeam, in montem, ubi constituerat illis Iesus*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Iam aliquibus plusquam semel apparuerat Christus: notandum tamen in illis est desiderium videndi iterum Christum, propter quod iter illud suscipiunt . . . *REFL.* Discamus hinc quod *coelestes* voluptates nunquam satietatem afferunt, sicut *temporales*, quae saepe taedio sunt cum habentur. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, Matth. 5. Sed saturitas haec non parit taedium; imo desiderium auget... *VOL. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, Ps. 41. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus*, Ps. 79. . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus colloquia discipulorum in via . . . *INTEL.* Haud dubie commemorabant verba, quae dixerat Christus post ultimam coenam, *postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam*, Marc. 14.; et illa quae Angelus dixerat mulieribus, *quia praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*, Marc. 16. . . . *REFL.* Si velimus nos quoque Christum videre, necesse est verba ipsius *evangelica* tum nobiscum tum cum aliis *saepe revolvere* . . . *VOL.* Fugiamus colloquia *otiosa*. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, Ps. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* ibid.

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Discipuli abierunt in Galilaeam, in montem, ubi constituerat illis Iesus*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Ratiocinemur eos debuisse ire, ut viderent et invenirent Christum, non in montem quemvis pro arbitrio suo: sed in eum, quem *constituerat illis Iesus* . . . *REFL.* Sic nos non inveniemus Christum in loco, quem pro nostro libitu elegimus; sed in illo, quem per Superiores nostros constituit nobis Iesus . . . *VOL.* Protestemur nos esse milites sub *Vexillo Christi* ducis nostri, cuius proinde mandata de *loco* et *habitatione*, quae per obedientiam dat, deinceps diligenter exequamur, ut ipsum inveniamus...

COL. Quibus petamus *gratiam* et *magnos animos* ad vitam agendam iuxta reg. Summ. 3. *in quavis mundi plaga*, quam obedientia constituet . . .
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXIV.

De apparitione nona, Matth. 28.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 298.)

CONGR. Laetari in mysteriis Resurrectionis Christi.
PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit illis in constituto monte, et illis exposuerit omnem suam potestatem.
PRAEL. II. Aspicere montem illum in Galilaea.
PRAEL. III. Petere gratiam *sequendi Christum*, *et non timendi sub protectione tam potentis Ducis*.
PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus discipulos illos in Galilaea ascendentes in montem . . . *INTEL.* Consideremus in ipsis innocentiam manuum, et munditiem cordis iuxta illud, Ps. 23.: *Quis ascendet in montem Domini? . . . Innocens manibus, et mundo corde . . . REFL.* Excutiamus hic *conscientiam* nostram, et *munditiem* cordis . . . *VOL.* Statuamus bene *mundare corda* nostra per poenitentiam interiorem et exteriorem, ut cum Apostolis possimus *ascendere in montem Domini* . . .
PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus discipulos illos loquentes, et aspirantes ad futuram Christi apparitionem . . . *INTEL.* Haec aut similia ad Christum dicebant: *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum*, Ps. 42. . . . *REFL.* Nos quoque similia convenit dicere, quando *ascendimus ad Altare*, ut Christum videamus velatum speciebus panis, et vini... *VOL.* In introitu illo ad Altare suspirabimus ad Christum, et cum ingenti desiderio dicemus: *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*: *salutare vultus mei*, et

Deus meus, Ps. 42. Nam revera, quamvis velatus illis speciebus, est *salutare vultus mei* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Christus illis apparens dixit: *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra*, Matth. 28. . . . *INTEL.* Singula verba expendamus: nullus Rex habet potestatem omnem in terra, multo minus in coelo. Causam quoque ob quam data est consideremus. Nimirum Christus *humiliavit semetipsum factus obediens*, etc.; *propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, Philip. 2. . . . *REFL.* Discamus hinc quod *paupertas*, *abiectio sui*, et *humilitas* non tantum omnes *virtutes*; sed etiam omnem *exaltationem* introducant . . . *VOL.* Coniungamus nos intime cum Christo per *tertium gradum humilitatis* . . .

PVNCT. IV. — QVID DIVINITAS. — *MEM.* Christus praedixerat, Marc. 14.: *Postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam* . . . *INTEL.* Perpendamus quantum differat transitus e Iudaea in Galilaeam, qui fit post resurrectionem, ab eo qui fiebat antea. Ante occultabat se Divinitas, et sic eundo laborabat et fatigabatur, sicut alii homines: post resurrectionem vero ornatus dote *immortalitatis* et *agilitatis*, sine labore, sine illa temporis mora transfert se quo vult... *REFL.* Nos quoque *sperare* debemus quatuor illas corporis gloriosi dotes, *immortalitatem*, *agilitatem*, *penetrabilitatem*, *claritatem* . . . *VOL.* Cum intimo animi sensu dicamus illud Apostoli 2. Cor. 4. *Quod in praesenti est momentaneum, et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis* . . .

PVNCT. V. — SOLATIVM IN HAC VITA. — *MEM.* Revocemus in memoriam quod Christo data sit *omnis potestas in coelo, et in terra* . . . *INTEL.* Ratiocinemur magnos animos addi militibus, quando sciunt in suo Duce magnam inesse virtutem, magnam potestatem... *REFL.* Sic nobis debet adferre summum *solatium*, quod in Christo Rege nostro insit *omnis potestas in*

coelo, et in terra . . . *VOL.* Per hanc *fidem*, et *fiduciam* pellamus omnem timorem hostium visibilium, et invisibilium: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt, nolite ergo timere*, Matth. 10. . . .

COL. Quibus petamus magnam *fiduciam* in sequendo Christo, pulso et superato omni *timore* sub Duce tam potente, tam bono . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXV.

De apparitione nona, Matth. 28.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 299.)

CONGR. Vt solet.

PRAEL. I. Quomodo Christus miserit discipulos illos ad praedicandum, et baptizandum per totum Orbem.

PRAEL. II. Intueri montem, et inde oculos mentis circumferre per totum Orbem.

PRAEL. III. Petere *spiritum Apostolicum ad praedicandum Christum*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus Christum apparentem in monte discipulis suis . . . *INTEL.* Consideremus ipsum speciosum forma prae filiis hominum, tamquam optimum illorum Imperatorem; tamquam Regem cui omnes ubique obedire debent, tamquam Ducem inter milites, tamquam Magistrum inter discipulos . . . *REFL.* Iuvabit ex adverso intueri ducem impiorum inter suos in campo babylonico . . . *VOL.* Detestando hostes illos nostros capitalissimos, totos nos effundamus in actus *charitatis*, *reverentiae* et *laudis* erga optimum Imperatorem nostrum . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus quid Christus loquatur suis illis discipulis, ministris, et militibus . . . *INTEL.* Docet illos ut primum se ipsos;

deinde alios inducant ad *spiritualem* primo *affectum paupertatis*, et insuper (si divini obsequii ratio ferat) *ad sectandam actu ipso veram paupertatem*; tum *ad opprobrii, contemptusque desiderium alliciant; unde humilitatis virtus enascitur* (Lib. Exerc. pag. 149.)... *REFL.* Cogitemus per ipsos nobis omnia ista quoque dici... *VOL.* Renovemus affectus in meditat. *de duobus Vexillis* conceptos erga *tres illos perfectionis gradus* (Ibid. 150.)...

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Videamus quid Christus fieri velit ab illis suis discipulis sic instructis... *INTEL.* Primo vult illos ire ad omnes gentes, et mittit per Orbem: *Euntes ergo docete omnes gentes*, Matth. 28. Secundo *baptizantes eos in nomine Patris*, etc. ibid.; quia baptismus, et professio SS. Trinitatis est quasi balteus, et signum militiae Christianae. Tertio *docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*, Ibid.; hoc est omnia quae mandavi in Evangelio, quae facile servabuntur, si ad *tres illos perfectionis gradus* supradictos pervenerimus, et alios induxerimus ... *REFL.* Meminerimus *haec tria* vel maxime pertinere ad viros *Apostolicos Societatis nostrae*... *VOL.* Hic locus est amandi super omnia Christum tam amabilem, qui etiam redivivus dignatus est suos confirmare in vita evangelica: complectamur proinde Magistrum nostrum illum divinum arctissime per *tertium modum humilitatis*...

COL. Conformia.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVI.

De apparitione decima, 1. Cor. 15.

Myst. punct. unic. (Lib. Exerc. pag. 299.)

CONGR. De more.

PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit plusquam quingentis simul...

PRAEL. II. Aspicere locum huius apparitionis.

PRAEL. III. Petere gratiam *resurrectionem Christi bene omnibus annuntiandi.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul*, 1. Cor. 15. . . . *INTEL.* Videamus vocationem eorum, *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi, et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret*, 1. Cor. 1. . . . *REFL.* Hinc discimus quantum *humilitas* Christi praeferenda sit stultae vanitati mundi . . . *VOL.* Coniungamus nos Christo per *tertium modum humilitatis.*

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus quid Christus illis apparens locutus sit . . . *INTEL.* Locutus est eis *sapientiam non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur: sed . . . Dei sapientiam in Mysterio . . . quam nemo principum huius saeculi cognovit*, 1. Cor. 2. Tunc verbo, et opere dicebat: *Ego sum resurrectio, et vita*, etc. Ioan. 11. . . . *REFL.* Ratiocinemur nos non fore *sanae mentis*, si prae Christo mundanos homines sequamur: nam *gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt*, Philip. 3. . . . *VOL.* Dicamus cum Apostolo ibidem: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*: et studeamus *ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis eius, et societatem passionum ipsius*, ibid. . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Cogitemus quid post apparitionem illam egerint illi plusquam quingenti fratres . . . *INTEL.* Non fuerunt otiosi, sed sicut Paulus *Iesum et resurrectionem annuntiabat eis*, Act. 17.; et sicut *virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri*, Act. 4.; sic et illi faciebant: ideo Paulus de illis dicit *multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt*,

1\. Cor. 15. . . *REFL.* Sic oportet nos quoque ubique annuntiare Christum, et hunc *crucifixum*, et in resurrectione *gloriosum* . . . *VOL.* Optemus in hoc munere Apostolico pro Christo *opprobria*, et *contumeliam* pati: *Si sustinebimus et conregnabimus*, 2. Tim 2. . .

COL. Quibus petamus gratiam *sustinendi* et *conregnandi* cum Christo . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXVII.

De apparitione undecima, 1. Cor. 15.

Myst. punct. unic. (Lib. Exerc. pag. 300.)

CONGR. Exhilarescere cum Christo redivivo.

PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit Iacobo.

PRAEL. II. Imaginari sibi locum apparitionis.

PRAEL. III. Petere gratiam *abnegandi seipsum, ut laborum Christi, ac deinde resurrectionis eius participes fiamus.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM.* Consideremus personam S. Iacobi, cui Christus apparuit . . . *INTEL.* Is fuit frater Domini cognomento *Iustus* . . . *REFL.* Iustitia nobis necessaria est, si velimus videre Christum. *Iustitia* autem omnis introducitur per *tres illos modos perfectionis*, de quibus in medit. *de duobus Vexillis* (Lib. Exerc. pag. 151.) . . . *VOL. Domine, deduc me in iustitia tua*, Ps. 5; idque per viam *paupertatis, contemptus, et humilitatis. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam*, Matth. 3.; sicut Christus dicebat cum tanquam peccator baptizaretur . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Cogitemus quid S. Iacobus merito dicere potuit coram Deo . . . *INTEL.* Conveniunt illi verba illa Ps. 34.; *humiliabam in ieiunio animam meam*: nam in Officio eius, 1. Maii sic legitur: *Ab ineunte aetate vinum et siceram non bibit*,

carne abstinuit . . . *REFL.* Hinc discamus *ieiunium* et *temperantiam* conducere multum ad *humilitatem* . . . *VOL.* Amemus additionem 10. Hebd. 1. (Lib. Exerc. pag. 108.), de *poenitentia* etiam in *victu*: et regulas de *victu temperando* (Ibid. pag. 204). *Carnis terat superbiam potus cibique parcitas;* canit Ecclesia . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Legitur de eo praeterea, quod *nunquam tonsus est, nec unguento, nec balneo usus* . . . *INTEL.* Perpendamus quam procul abfuerit ab affectione erga propria *commoda* . . . *REFL.* Applicemus hic verba S. P. nostri in fine Hebd. 2.: *Hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius, et commodi proprii affectione se abstraxerit* (Lib. Exerc. pag. 189.) . . . *VOL.* Aurea ista verba alte cordi imprimamus, ut *iusti* fiamus sicut S. Iacobus . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christus *deinde visus est Iacobo*, 1. Cor. 15. . . . *INTEL.* Ex praecedentibus punctis concludere possumus, quod Christus virtutem et miracula resurrectionis suae ostenderit non *mundanis* et *aulicis*; sed *pauperibus, abiectis* et *humilibus*. *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*, Matth. 11. . . . *REFL.* *Paupertatis* et *abiectionis* effectus nos quoque experiri oportet; ut abscondita mysterii *Resurrectionis* contemplemur . . . *VOL.* Exciteinus *fidem et spem* non tantum contemplandi; sed etiam postea videndi *sapientiam in Mysterio, quae abscondita est*, 1. Cor. 2.; mundanis scilicet et amatoribus sui, quibus nunquam revelabitur illud Mysterium . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Intueamur Iacobum cum Christo sibi apparente . . . *INTEL.* Perpendamus quomodo Christus deterserit sua apparitione quidquid in asperiori illa Iacobi vita durum apparet . . . *REFL.* Sic Christus consolatur suos etiam in hac vita . . . *VOL.* Dicamus cum Iob cap. 6.: *Haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore*

non pareat, et cum Apostolo, Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus*, quia Deus *consolatur nos in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 1. . . .

COL. Quibus petamus intelligentiam et exercitium istius, quod dicit Apostolus Coll. 3.: *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram* . . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXVIII.

De apparitione duodecima.

Myst. punct. unic. (Lib. Exerc. pag. 300.)

CONGR. Ordinaria.

PRAEL. I. Quomodo Christus iuxta quaedam Hagiographa apparuerit Iosepho ab Arimathaea.

PRAEL. II. Constituere sibi locum apparitionis.

PRAEL. III. Petere gratiam *per paupertatem omnia Christo offerendi, ut in ipso divites fiamus.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Videamus qualis vir fuerit Iosephus ab Arimathaea . . . *INTEL.* Fuit *discipulus Iesu occultus propter metum Iudaeorum*, Ioan. 19.; ante mortem scilicet Christi: postea vero non erubuit Evangelium; sed *audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Iesu*, Marc. 15. . . . *REFL.* Sic nos quoque debemus ex morte, et passione Christi animos sumere, et non erubescere Evangelium . . . *VOL. Passio Christi conforta me etc. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar*, Ps. 118. . . .

PVNCT. II. — VERBA — *MEM.* Cogitemus qualia verisimile est Christum Iosepho dixisse . . . *INTEL.* Si de muliere, quae unguentum *effudit super caput ipsius*, dixit: *Opus enim bonum operata est in me, ... ad sepeliendum me fecit*, Matth. 26.; haud dubie non minora dixit Iosepho, qui ad sepeliendum tot obse-

quia praestitit . . . *REFL.* Sic Christus omnibus qui assistunt eius Passioni dicit: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum*, Luc. 22: Talia Iosepho dicta quoque fuisse credibile est . . . *VOL.* Constanter sequamur Christum usque ad sepulturam, ut resurrectionis participes esse possimus, et consolationis quam accepit Iosephus . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Iosephus posuit corpus Christi *in Monumento suo novo, quod exciderat in petra*, Matth. 27. . . *INTEL.* Iosephus spoliat se quodammodo possessione sui Monumenti Christo illud cedens; Christus illum donat suo aspectu post resurrectionem, respectu cuius omnis possessio quasi nihil est . . . *REFL. Sic omnis qui reliquerit domum etc., centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit*, Matth. 19. . . *VOL.* Gratias agamus Deo pro vocatione ad *paupertatem; expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi*, Tit. 2. . .

COL. Quibus petatur *haec spes* . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXIX.

De apparitione decima tertia, 1. Cor. 15.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 301.)

CONGR. Sicut supra dictum est.

PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit B. Paulo.

PRAEL. II. Videre locum prope Damascum.

PRAEL. III. Petere gratiam *bene intelligendi voces et inspirationes Christi, eique obediendi.*

PVNCT. I. — PERSONAE. — *MEM.* Intueamur Paulum Hierosolymis iter Damascum facientem . . . *INTEL.* Erat *spirans minarum, et caedis in discipulos Domini*, Act. 9.; tamquam lupus rapax, ut vere dixe-

rit Christus, *ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, Luc. 10. . . . *REFL.* Sic vivimus in medio hostium et daemonum, quos dux impiorum mittit per totum Orbem ad nocendum . . . *VOL.* In medio tot hostium sequemur consilium Christi, *estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*, Matth. 10. Non resistendum cum violentia, sed humilitate et prudentia in Christo . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Christus dixit Saule, *Saule, quid me persequeris? . . . durum est tibi contra stimulum calcitrare*, Act. 9. . . . *INTEL.* Multum diversae sunt hae voces ab aliis, quibus Christus usus est in aliis apparitionibus: *Avete*, *Pax vobis*, etc. . . . *REFL. Cuius sane diversitatis ratio est quatenus Angelo utrilibet similis vel dissimilis est animae ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu et pulsu, qui facile adverti queat, ei se coniungit* (Lib. Exerc. pag. 319.) . . . *VOL.* Nos merito saepe sic duriter reprehensi respondeamus cum Saulo. *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. . . . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM. Subito circumfulsit eum lux de coelo, et cadens in terram audivit vocem*, etc. Act. 9. . . . *INTEL.* Sic Deus prostravit Saulum, ut mutaretur in Paulum, et ex lupo in agnum. Sic Dominus *humiliat, et sublevat*, 1. Reg. 2. . . . *REFL.* Debemus itaque in *humiliatione* et *tribulatione* nostra agnoscere *manum Domini* humiliantem, et ab eadem manu expectare *sublevationem* . . . *VOL.* O Domine! *bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas*, Ps. 118. . . .

PVNCT. IV. — Quid Divinitas. — *MEM.* Intueamur Paulum profligatum, apertisque oculis nihil videntem . . . *INTEL.* Sic Divinitas in passione abscondita sese hic tot miraculis ostentat: *Deposuit potentes de sede*, Luc. 1. . . . *REFL.* Sic post mortem omnis potentia humana destruetur veluti *principum huius saeculi, qui destruuntur*, 1. Cor. 2. . . . *VOL.* Nos aspi-

remus potius ad potentiam coelestem, ad *haereditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem*, 1. Petr. 1. . .

PVNCT. V. — SOLATIVM IN HAC VITA. — *MEM.* Christus de Paulo dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego autem ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Act. 9. . . . *INTEL.* Ratiocinemur hoc testimonium Christi Paulo attulisse consolationem, quae exsuperat omnem sensum. Hinc postea dicebat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, 2. Cor. 7. . . . *REFL.* Tanta consolatio est in *tertio gradu humilitatis!* . . . *VOL.* Christo nos totos per actum *purae charitatis* iungamus in *tertio modo humilitatis* . . .

COL. De *tribus modis humilitatis*.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXX.

De apparitione decimatertia. 1. Cor. 15.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 301.)

CONGR. Vt dictum saepius.

PRAEL. I. Quomodo Christus apparuerit Patribus in Limbo quoad animam, et postquam inde educti sunt.

PRAEL. II. Aspicere Patres in Limbo.

PRAEL. III. Petere *desiderium videndi Christum in gloria*.

PVNCT. I. — PERSONAE — *MEM.* Mente nostra descendamus ad Limbum, in quo Patres illi haerebant, aliqui millenis et pluribus annis . . . *INTEL.* Patres illi mortui fuerant in gratia, et in iustitia: consideremus proinde in ipsis fructus Spiritus Sancti; nominatim fructus *patientiae, et longanimitatis*, qua tot saeculorum exilium sustinuerunt . . . *REFL.* Nos debemus *duas illas virtutes* imitari. Si enim *mille anni ante oculos Dei, tamquam dies hesterna quae praeter-*

iit, Ps. 89.; quid est brevis vita nostra? . . VOL. Igitur hoc agamus, ut ambulemus *digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, et in omni virtute confortati, secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia, et longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo*, Coloss. 1. . . .

PVNCT. II. — VERBA. — *MEM.* Audiamus Patrum illorum desideria et suspiria ad Christum . . *INTEL.* Continuo resonabant huiusmodi suspiria: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant Iustum*; etc. Isa. 45. . . *REFL.* Sic in hoc exilio nos quoque debemus anhelare ad Christum Redemptorem nostrum . . *VOL.* Dicamus cum Paulo Phil. 1.: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius*; et ad Rom. 7.: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* et Ps. 41.: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* . . .

PVNCT. III. — OPERA. — *MEM.* Anima Christi separata a corpore mox *descendit ad inferos*, et apparuit illis Patribus eos liberans . . . *INTEL.* Tunc factum est illis quod dicitur Apoc. 7., *et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Simul atque enim viderunt animam, ac deinde etiam corpus Christi gloriosum, mox omnium praeteritorum fuerunt obliti . . . *REFL.* Sic etiam fiet nobis, si iuxta *tertium humilitatis modum* pro Christo passi fuerimus . . . *VOL.* Nos radicati in illo *tertio humilitatis modo* dicamus cum magno affectu: *Id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis*, 2. Cor. 4.: *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis*, etc. 2. Cor. 5. . . .

COL. Conformia.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXI.

De apparitione decimatertia. 1. Cor. 15.

Myst. Punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 302.)

CONGR. Manet eadem.

PRAEL. I. Quomodo Christus redivivus passim discipulis apparuerit, et cum eis versatus sit.

PRAEL. II. Videre Iudaeam et Galilaeam, ubi haec contigerunt.

PRAEL. III. Petere gratiam *digne cum Christo conversandi in terra, et postea ipso fruendi in coelo.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Inspiciamus personas omnes quibus Christus apparuit . . . *INTEL.* Comparemus illas cum caeteris hominibus per totum Orbem terrarum dispersis; consideremus interiorem *divinum spiritum*, qui erat in Maria Matre Iesu, et in discipulis, prorsus diversum a *spiritu mundano* aliorum hominum . . . *REFL.* Hoc est quod didicimus in meditatione *de duobus Vexillis*, nempe Maria Mater, discipuli alii Iesu erant sub vexillo Christi; alii passim sub vexillo ducis impiorum . . . *VOL.* Abhorreamus a spiritu illo malo ducis impiorum, et ambulemus *spiritu* Christi . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Audiamus hinc Christum redivivum loquentem cum suis, inde vero sermones hominum mundanorum . . . *INTEL.* Mundus plenus est sermonibus *vanis* de divitiis, honoribus, etc. Christus vero per dies quadraginta erat *loquens de Regno Dei*, Act. 1. . . . *REFL.* Examinemus colloquia nostra . . . *VOL.* Nos contraria loquamur illis, quae mundus amat et amplectitur; nempe sermones nostri sint de *paupertate*, de *opprobriis* pro Christo, de *humilitate:* haec enim ducunt ad Regnum Dei . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus discipulis *praebuit seipsum vivum post passionem suam . . . per dies quadraginta apparens eis,* Act. 1. . . . *INTEL.*

Nimirum id temporis illos instruxit de negotiis Ecclesiae suae, quomodo deberet propagari; quomodo deberent, accepto Spiritu Sancto, ire per totum Orbem etc.; denique inculcavit illis omnia, quae in Evangelio sunt . . . *REFL.* Hinc concludamus qualia debeant esse opera nostra: non enim negotium nostrum est cumulare divitias, honores ambire etc., sed *sequi Christum* dicentem: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*, Matth. 11. . . . *VOL.* Toti simus in hisce operibus *humilitatis* Christi: et renovemus affectus conceptos de hoc in superioribus meditationibus . . .

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM.* Christus *praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis*, Act. 1. . . . *INTEL.* Si recolamus mente apparitiones, de quibus hactenus meditati sumus, cognoscemus quod identidem ostenderit, et prodiderit quatuor dotes corporis gloriosi; scilicet *immortalitatem*, *claritatem*, *agilitatem*, *et subtilitatem:* Idque variis modis, ita ut fuerit quasi *ludens in orbe terrarum*, Prov. 8., in tot diversis figuris apparens, modo his modo illis . . . *REFL.* Nos etiam manent quatuor illae *gloriosae dotes*, si Christum *bene sequamur* . . . *VOL.* Convertamus nos ad Christum, et toto affectu dicamus: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem*, Ps. 118. Participes erimus *victoriae, et felicitatis unusquisque*, *prout laborum ac molestiarum socii* extiterimus (Lib. Exerc. pag. 115.). . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM.* Meminerimus tempore illorum quadraginta dierum non defuisse persecutiones; ita ut *propter metum Iudaeorum* debuerint discipuli se occultare . . . *INTEL.* Perpendamus vero quomodo Christus illos consolatus sit. Nam si ipse de se testetur: *Deliciae meae esse cum filiis hominum*, Prov. 8., vicissim deliciae hominum sunt esse cum Christo . . . *REFL.* Sed notandum nobis est quod non omnes homines sint tales, cum quibus esse cum Christo sunt deliciae, et examinandum

an simus ex illis, quibus Christus *etiam ad delicias* se communicare velit? . . . *VOL.* Reddamus nos similes *miti et humili* Christo, tunc nulla adversa timebimus, et dicere poterimus: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam*, Ps. 93. . . .

COL. Quibus petamus *constantiam et fortitudinem* in tribulationibus pro Christo . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXII.

De Ascensione Christi. Act. 1.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 302.)

CONGR. Desiderium mente cum Christo in Coelis habitandi.

PRAEL. I. Quomodo Christus post quadraginta dierum apparitiones miserit discipulos Hierosolymam, ut promissum Spiritum Sanctum ibi expectarent.

PRAEL. II. Videre civitatem Hierusalem, ubi discipuli debebant expectare.

PRAEL. III. Petere gratiam *praeparandi nos bene ad adventum Spiritus Sancti*.

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Videamus discipulos cum Christo convescentes . . . *INTEL.* Consideremus illos ab optimo Magistro diligenter instructos de vita *spirituali*, de *paupertate*, *humilitate*, *etc.* Nondum tamen satis instructos *donis et fructibus* Spiritus Sancti . . . *REFL.* Sic nobis quoque accidit: post multas instructiones et meditationes manemus in *prima* vel *secunda* hominum *classe*, nec ad *tertiam* ascendimus, quia non satis imploramus *virtutem* Spiritus Sancti . . . *VOL.* Excitemus *ferventia desideria* accipiendi Spiritum Sanctum nobis tam necessarium; O Deus! *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis; et correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris?* Sap. 9. . . .

PVNCT. II. —Verba. — *MEM.* Discipuli *interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti etc.*, Act. 1. . . . *INTEL.* Reprehendit Christus sermonem de restitutione Regni terreni Israel; et vertit illum statim in sermonem coelestem de Spiritu Sancto . . . *REFL.* Sic oportet nos agere cum illis, qui loquuntur *mundana et vana*: nam in mundo *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*, Ps. 11. . . . *VOL.* Nos igitur profiteamur cum Paulo, 1. Cor. 2.: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in Mysterio* . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Christus *praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris etc.* Act. 1. . . . *INTEL.* Antequam Apostoli per Orbem dispergerentur, debuerunt Hierosolymis, hoc est in civitate *pacis* et *quietis* se continere, ut acciperent Spiritum bonum . . . *REFL.* Hinc patet quam necessarius sit *viris Apostolicis* recessus *Exercitiorum spiritualium*, ut a Spiritu Sancto confirmentur ad *Apostolica munia* bene obeunda . . . *VOL.* Cogitemus nobis esse dictum: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, Isa. 40. Parabimus igitur in recessu *Exercitiorum* viam Domini, dirigemus semitas eius; sic deinde evadent *speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*, Rom. 10. . . .

COL. Quibus petamus *dona et fructus* Spiritus Sancti ad *munus Apostolicum* bene obeundum . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

MEDITATIO XXXIII.

De Ascensione Christi, Act. 1.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 302.)

CONGR. Sicut in praecedentibus.

PRAEL. I. Quomodo Christus eduxerit discipulos in montem Oliveti, et ascenderit in Coelum.

PRAEL. II. Aspicere montem illum.

PRAEL. III. Petere gratiam *mente sequendi Christum ascendentem in Coelum.*

PVNCT. I. — Personae. — *MEM.* Aspiciamus personas in monte Oliveti, et reliquos homines per orbem dispersos ... *INTEL.* Ad theatrum illud montis Oliveti, in quo debebat repraesentari pulcherrimum spectaculum, quod unquam visum fuit, non vocavit Christus Romanos, aliosque Reges aut sapientes huius mundi, sed *pauperes, humiles*, et vulgo *despectos* ... *REFL.* Nos quoque necesse est a studiis mundanis alienos *paupertati et humilitati* studere, si velimus frui iucundissimo illo spectaculo ... *VOL.* Premamus igitur *vestigia* Christi, et non mundi; et *cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria*, Colos. 3. ...

PVNCT. II. — Verba — *MEM.* Audire Christum loquentem ad discipulos ... *INTEL.* Credibile est Christum illis dixisse, sicut dixerat Mariae Magdalenae: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*, Ioan. 20. ... *REFL.* Notemus quomodo qui abnegantes se Christi crucem baiulant fiant fratres eius, et filii Dei: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. ... *VOL.* Concipiamus *filialem amorem* erga Deum. *Si autem filii, et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi*; Rom. 8. ...

PVNCT. III. — Opera — *MEM.* Christus ultima

vice apparuit in monte Oliveti. Nam Ascensione facta, discipuli *reversi sunt Hierosolymam a monte, qui vocatur Oliveti*, Act. 1.... *INTEL.* Nimirum in loco, ubi quodammodo incepit eius *Passio*, ibidem voluit ostendere quod *haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam*, Luc. 24. . . . *REFL.* Hoc est quod Christus Rex nobis etiam inculcat: *Quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est: labori enim praemium respondebit* (Lib. Exerc. pag. 116.) . . . *VOL.* Renovemus affectus contemplationis *Regni Christi* ...

PVNCT. IV. — Qvid Divinitas. — *MEM. Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, Act. 1. . . . *INTEL.* Contemplemur devicta morte triumphum illum, *ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubae*, Ps. 46. Sic Divinitas in passione abscondita se manifestavit . . . *REFL.* Nos vero decet applaudere Christo ascendenti, et facere quod in eodem psalmo subiungitur: *Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. Quoniam Rex omnis terrae Deus* . . . *VOL.* Gratulemur Christo, gratias ei agamus, qui *est elevatus in coelum, ut nos divinitatis suae tribueret esse participes*, ut canit Ecclesia. Interea *abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi*, Tit. 2. . . .

PVNCT. V. — Solativm in hac vita. — *MEM. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, Act. 1... *INTEL.* Per nubem illam quasi tot apparitionum scena clausa fuit: sed cogitemus quanta *consolatio* remanserit in discipulorum cordibus scientium se habere amantissimum suum Regem in Coelo. Hinc Ioannes qui interfuerat scribebat; *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum*, 1. Ioan. 2. . . . *REFL.* Haec consolatio communis est nobis omnibus in hac vita, si per *tertium modum humilitatis* sequamur Christi vestigia . . . *VOL.* Stabiliamus nos in illo *modo fortes in fide*, 1. Pet. 5. *In spe gloriae filiorum Dei*, Rom. 5.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus, Rom. 6.

COL. De *tribus modis humilitatis* . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXIV.

De Ascensione Christi, Act. 1.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 302.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. Quomodo apparuerint duo viri in vestibus albis, et locuti fuerint discipulis aspicientibus Christum ascendentem.

PRAEL. II. Intueri montem Oliveti.

PRAEL. III. Petere *fidem*, *spem*, et *charitatem erga Christum in Coelos exaltatum.*

PVNCT. I. — Personae — *MEM. Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis*, Act. 1. Hos Angelos fuisse credimus . . . *INTEL.* In discipulis consideremus ingens *desiderium* sequendi Christum; in Angelis studium illos *consolandi*; sicut in eodem monte consolati fuerant Christum in agonia existentem . . . *REFL.* Si nos quoque interius *desiderium* habuerimus Christo adhaerendi, non deerunt officio suo Angeli, quibus *Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, Ps. 90.... *VOL.* Oremus cum Ecclesia *ut qui Redemptorem nostrum ad Coelos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in coelestibus habitemus;* et nunc magnam *fiduciam* in Angelis concipiamus . . .

PVNCT. II. — Verba. — *MEM.* Angeli *dixerunt*; *viri Galilaei, quid statis aspicientes in Coelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in Coelum sic veniet*, etc., Act. 1. . . . *INTEL.* Angeli non praesentia sua tantum; sed etiam salutari voce discipulos consolantur et dirigunt inspirando illis memoriam redituri Domini . . . *REFL.* Sic Angeli nobis saepe inspirant memoriam venturi Domini tum ad *particulare*, tum

ad *universale* Iudicium . . . *VOL.* Statuamus iuxta *posteriorem modum* eligendi Angelicae isti inspirationi aures praebere, et venturi Iudicis memores ubique esse . . .

PVNCT. III. — Opera. — *MEM.* Convertamus iterum oculos ad Christum iam Coelo receptum, et ad Angelos . . . *INTEL.* Christus dixerat: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hōs dies* Act. 1.; tamen ne paucos quidem dies expectare voluit ad ostendendum *amorem* suum per Spiritum Sanctum; sed statim absens per Angelos suos, quasi per legatos voluit sperantibus in se adesse . . . *REFL.* Vsque adeo verum est: *Respicite filii nationes hominum et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est*, Eccli. 2. . . . *VOL.* Magnam hic concipiamus *fiduciam* in sequendo Christum tam nostri amantem, tam de nobis solicitum . . .

COL. Quibus petamus *fiduciam* illam, et reciprocum *amorem* erga Christum . . .

RECOLLECTIO. REPETITIO.

APPLICATIO SENSVVM.

SEQVVNTVR

MEDITATIONES

DE AMORE SPIRITVALI

MEDITATIO XXXV.

Ad amorem spiritualem in nobis excitandum.

Myst. punct. 1. (Lib. Exerc. pag. 226.)

CONGR. Desiderium Deo rependendi reciprocum amorem.

PRAEL. I. *Vt coram Domino, Angelis, Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam* (Lib. Exerc. pag. 220.).

PRAEL. II. *Vt gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum, et servitium ipsius totum me impendam* (Ibidem).

PVNCT. I. — Beneficivm Creationis. — *MEM. Creavit Deus coelum et terram*, Gen. 1. . . . *INTEL.* Perpendamus quanta, quam varia, quam pulchra, quam bene ordinata in coelo et in terra benignissimus Dominus *mei amore* egerit; quomodo sex dierum spatio in opere illo quasi laboraverit; quomodo res tot, et tam utiles ac commodas mihi donaverit; quodque si eisdem bene utar, ipse cum omnibus illis *seipsum* mihi aeternum donare velit . . . *REFL.* Consideremus quid aequum sit nos tali Benefactori reddere, et pro ipso agere? . . . *VOL. Suscipe, Domine, universam libertatem meam*, *etc.* (Lib. Ex. p. 221. . .

PVNCT. II. — Beneficivm Redemptionis — *MEM. Dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. 2. . . . *INTEL.* Consideremus quid in hoc beneficio Deus egerit quando *Homo factus est*? Ioan. 1. Quid *dederit*: panis enim *Dei est*, *qui de coelo descendit, et dat vitam mundo*, Ioan. 6., per *Eucharistiam*, et omnia bona supernaturalia *Sacramentis* adnexa: et praeterea *seipsum* nobis non tantum dat in *Eucharistia*, sed perpetuo nobis vult esse *unitus: nam est pignus haereditatis nostrae*; Ephes. 1. Quanta vero *perpessus* sit pro nobis, tota vita eius et mors demonstrant . . . *REFL.* Disquiramus quae nostrae sint partes, ut *tanto in nos amori* respondeamus? . . . *VOL. Suscipe, Domine, universam libertatem*, etc. (Lib. Exerc. pag. 221.) Sed non simus contenti oblatione tali nisi accedat ardens desiderium *patiendi* ex *amore* erga Christum, expressum verbis *tertii gradus humilitatis* . . .

PVNCT. III. — Beneficia particvlaria — *MEM. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*, Iacob. 1. Revocemus in memoriam dona omnia tum *corporis*, tum *animae*; tum *exteriora* eaque vel

naturalia vel *supernaturalia*, quae nobis prae innumeris aliis, qui iis carent; data sunt. Non obliviscamur vero doni *vocationis* ad Societatem . . . *INTEL.* Ratiocinemur quantum benignissimus Dominus *nostra causa* egerit; quanta cum patientia et longanimitate *peccata nostra* tulerit: quot *inspirationes et desideria* ad coelestem gloriam nobis infuderit? . ... *REFL.* Concludamus esse *haud sane dubium*, *quin mea omnia offerre debeam*, *ac meipsum cum summo affectu* reciproci amoris (Lib. Exerc. pag. 221.). . . . *VOL.* Iterum *suscipe*, *Domine*, *universam libertatem meam*, *etc.* . . .

COL. Plena affectu *amoris* cum perfecta *resignatione* et *oblatione* ac *restitutione* omnium quae accepimus . . .

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXVI.

Ad Amorem spiritualem in nobis excitandum.

Myst. punct. 2. (Lib. Exerc. pag. 221.)

CONGR. Eadem.

PRAEL. I. In Dei et Sanctorum praesentia nos collocare.

PRAEL. II. Gratiam petere *totos nos impendendi in amorem Dei*, *qui nos tantum amavit.*

PVNCT. I. — Dona natvralia. — *MEM.* Aspiciamus Deum in singulis existentem creaturis. *Coelum*, *et terram ego impleo*, *dicit Dominus*, Ier. 23. . . . *INTEL.* Ratiocinemur illum non otiose existere in singulis; *sed implet omne animal benedictione*, Ps. 44. Et singulis distribuit sua dona, *elementis quidem . . . ut sint; plantis vero ut per vegetationem quoque vivant; animalibus insuper ut sentiant; hominibus postremo ut simul etiam intelligant* (Lib. Exerc. pag. 221.) . . . *REFL.* Cum igitur Deus in nobis congregaverit quodammodo omnia ista *dona naturalia*, ita ut nihil in

me sit quod ab ipso non acceperim, neque adeo quidquam, quod a me sit, ipse dare possim; cogitabo quid agere debeam, ut respondeam *tanto amori*? ... *VOL.* O Deus! quia dare non possum, quod tuum non sit, *id totum tibi restituo, et tuae prorsus voluntati trado gubernandum*, etc. (Ibidem.) ...

PVNCT. II. — Dona svpernatvralia. — *MEM. Meque templum quoddam suum efficere voluit*...*INTEL. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* 1. Cor. 3. ... *REFL.* Applicemus nobis quod ibidem subiungit Apostolus: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* ... *VOL. Suscipe*, *Domine*, etc. neque iam ex timore poenae, o Deus, sed ut respondeam *tanto amori*, quem tot donis *naturalibus*, et *supernaturalibus* mihi communicatis demonstrasti, conabor *templum illud* omni virtutum genere ornare ...

PVNCT. III. — Imago Dei. — *MEM. Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, Gen. 1. ... *INTEL.* Haec imago sive similitudo complectitur in se tum naturalia tum supernaturalia dona, quibus Dei similes efficimur: cumque amor consistat *in mutua facultatum, rerum et operum communicatione*, ex qua haec similitudo oritur, concludere possumus *quantus sit amor* Dei in nos . . . *REFL.* Cogitemus quae sint nostrae partes in redamando? ... *VOL. Suscipe, Domine*, etc. Insuper memor ero istius, de quo monemur Eccli. 17., *secundum imaginem suam fecit illum* ... *ut magnalia enarret operum eius*, et conabor *maiorem gloriam* tuam ubique promovere...

COL. Quibus petamus; *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis*, etc.

RECOLLECTIO. REPETITIO.

MEDITATIO XXXVII.

Ad Amorem spiritualem in nobis excitandum.

Myst. punct. 3. (Lib. Exerc. pag. 226.)

CONGR. Anhelare ad gratiam perfecti amoris in Deum.

PRAEL. I. Deum nobis praesentem, et propitium repraesentare.

PRAEL. II. Petere gratiam *Deum amandi opere*, *et veritate.*

PVNCT. I. — Devs operans. — *MEM.* Considerare Deum *propter me in creaturis suis operantem ; ut in coelis, elementis, plantis , frugibus , et animantibus* : *quatenus dat*, etc. . . . *INTEL.* Meminerimus *quod amor ipse ab operibus magis, quam a verbis pendet.* Atque hinc patet *incredibilis* Dei in nos *amor*, qui propter nos in coelo et in terra *operatur* tam multa et tam grandia . . . *REFL.* Componamus opera nostra propter Deum facta cum illis, quae facit propter nos Deus ; et videamus quid aequum sit nos facere? . . . *VOL. Suscipe Domine*, etc. (Lib. Exerc. pag. 221.). *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*, 1. Ioan. 3. . . ..

PVNCT. II. — Devs laborans. — *MEM.* Consideremus Deum *propter me in creaturis suis . . . laborantem quodammodo*: *quatenus dat*, etc. (Lib. Exerc. pag. 226.) . . . *INTEL.* Quamvis Deus expers sit laboris, opera tamen quae facit tanta sunt, ut sine labore ab eo, qui Deus non est, fieri non possent: ergo Deus iuxta modum nostrum loquendi *laborat;* sicuti in Scriptura dicitur *poenitentia tangi* etc., et laborat propter me, hoc est ex *amore* erga me . . . *REFL.* Sic nos vicissim ex amore erga ipsum debemus *laborare* in creaturis, nominatim in proximis nostris, ut omnes tendant ad *laudem* , *et obsequium Dei* (Ibid. pag. 221.). . . *VOL. Suscipe*, *Domine*, etc. Nolo ex amore

erga te deinceps ulli *labori* parcere, donec, quantum potero, in omnibus hoc egero, *ut cognoscant, quia non est Deus, nisi tu, et enarrent magnalia tua*, Eccli. 36. . . .

PVNCT. III. — Devs dans. — *MEM.* Considerabo Deum sic propter me operantem, et laborantem in creaturis: *Quatenus dat ipsis conservatque id, quod sunt, habent, possunt, atque agunt* (Lib. Exerc. pag. 226.) . . . *INTEL.* Ratiocinemur iuxta philosophos *conservationem* aequivalere primae productioni. Igitur Deus quodammodo rebus omnibus omni momento dat *esse, vivere, sentire*, et homini insuper *intelligere*, aliaque dona vel naturalia vel supernaturalia; et haec omnia ex *amore* erga me . . . *REFL.* Hinc concludam quam *constanter* et sine quiete propter Deum *agere* et *laborare* debeam . . . *VOL. Suscipe, Domine*, etc. *Os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum . . . Vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua: et usque in senectam, et senium, Deus ne derelinquas me. Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quae ventura est: potentiam tuam, et iustitiam tuam*, etc. Ps. 70.

COL. Petendo amorem Dei cum gratia ipsius. *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco* (Lib. Exerc. pag. 221.).

RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXXVIII.

Ad Amorem spiritualem in nobis excitandum.

Myst. punct. 4. (Lib. Exerc. pag. 227.)

CONGR. Desiderium cognoscendi bonitatem, et perfectiones Dei.

PRAEL. I. Stare in praesentia Dei, et omnium Coelitum.

PRAEL. II. Petere inflammatum amorem erga Deum.

PVNCT. I. — Dona in hac vita. — *MEM.* Prospiciamus *quo pacto munera, et bona omnia coelitus descendunt; ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, et alia quaelibet humana perfectio* (Lib. Exerc. pag. 227.) . . . *INTEL.* Recenseamus *perfectiones* corporis et animae, tam naturales quam supernaturales; *gratias* tam actuales quam habituales: *virtutes* infusas, *dona et fructus* Spiritus Sancti, etc. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*, Iacob. 1. Sic Deus communicat nobis sua bona, quod est signum veri *amoris* in nos... *REFL.* Iterum si rationis expertes non simus, iudicabimus nos nihil in nobis retinere debere, quod ipsi non restituamus ex reciproco *amore*... *VOL. Suscipe, Domine*, etc. . . .

PVNCT. II. — Dona alterivs vitae. — *MEM.* Convertamus nunc mentem ad *lumen gloriae*, *visionem* beatificam, et aeternam in Coelo *felicitatem*, quam *praeparavit Deus iis, qui diligunt illum*, 1. Cor. 2.... *INTEL.* Perpendamus quod sic Deus *seipsum totum*, si eum hic diligam, aeternum donare velit... *REFL.* Non est *sanae mentis*, qui tantum *Amatorem* non toto corde velit *redamare* . . . *VOL. Suscipe, Domine*, etc. *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco* (Lib. Exerc. pag. 221.) in praesenti vita; sed posco, ut post hanc vitam dones mihi *visionem* tui, ut nunquam a te *amando* cessare possim . . .

PVNCT. III. — Devs ipse in se amabilis. — *MEM.* Quaelibet perfectio, et bona omnia, quae Deus communicat tam iis qui sunt in via, quam qui sunt in Patria coelesti, sunt *terminis quibusdam certis circumscripta*. Nam Deus est *dividens singulis prout vult*, 1. Cor. 12. . . . *INTEL.* Ratiocinemur igitur Deum esse tamquam solem, a quo radii illi luminis emicant, et tamquam thesaurum quemdam immensum, et colle-

ctionem sive oceanum *bonorum omnium*, respectu cuius omnis creata perfectio quasi nihil est . . . *REFL.* Concludamus quod, si aliqua pulchritudo, dulcedo, bonitas, aut quaevis alia perfectio creata nos moveat ad sui amorem, etiam tunc quando illa non se nobis aliter communicat, quam per simplicem sui aspectum aut cognitionem; quomodo fieri possit, ut *immensus omnis perfectionis oceanus* possit cognosci, et non *amore ferventissimo* amari? . . . *VOL. Suscipe, Domine*, etc. *Amorem tui tantum mihi dones* etc.; nam desidero te amare, iam non quia a te expecto mihi bona quaedam communicari; sed quia tu *infinito amore* dignus es, etiamsi nihil nobis dares . . .

COL. Quibus *purissimum et perfectissimum Dei amorem* postulemus.

RECOLLECTIO. REPETITIO, ET ALTERA ETIAM TOTIVS CONTEMPLATIONIS HVIVS.

MEDITATIO ADDITA.

GEN. II.

Methodus Regulis Instituti nostri meditandis accommodata (1).

CONGR. Animo revolvamus (2), quod cum Regulae *sint media et instrumenta, quibus nos divina providentia ad nostrum finem deducere statuit, certum est eo se magis ab illius providentiae gubernatione subtra-*

(1) Hoc Meditationum exemplar ceteris a P. Diertins propositis subnectere operae pretium visum est, quo Nostri omnes in Regulis tum *Summarii*, tum *Communibus*, nec non *Officii* proprii meditandis, si libuerit, commode uti queant. Maiori etiam *Tironum* ac *Patrum tertiae probationis* annum agentium *profectui* hac in parte consultum iri confidimus, quos sane *iuvabit* huic exercitio *pomeridianam meditationis semihoram* interdum *tribuere*.

(2) Unicuique tamen integrum erit, *congruas* eiusmodi *cogitationes* pro arbitrio sibi varias effingere, ne una eademque perpetuo adhibita taedium pariat; quod et de *I. praeludio* intelligendum est.

here, et eo longius a fine suo et Christi Domini imitatione ideaque proposita recedere quemque, quo in Regularum observatione magis deficit. (P. Gaudier in Opere — *De natura et statibus perfectionis* —).

PRAEL. I. Menti nobis obiiciamus S. Parentem nostrum Ignatium coelesti gloria ac beatissimo sociorum agmine circumdatum, qui admirabilem illum *Constitutionum* suarum librum prae manibus ferens et digito commonstrans, hisce verbis unumquemque nostrum alloquatur: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo.* (Prov. I. 8. et 9.).

PRAEL. II. Postulemus gratiam, ut *Regulae*, quam meditandam assumimus, *vim* totam penitus *cognoscamus*, eamque magni *aestimemus*, et *moribus* fideliter *exprimamus*.

PVNCT. I. — *MEM.* — *Regulam* ipsam, vel eius partem, si forte prolixior fuerit, attente percurrere; puta 2. Summ. Constit. — *Finis huius Societatis*, etc. —

PVNCT. II. — *INTEL.* Circa eandem *Regulam* memoriae exhibitam insistendum in primis est, ut *verum* atque *intimum* illius *sensum* omnino *assequamur*: deinde perpendere erit 1. quam *iusta* sit . . . 2. quam *sancta* . . . 3. quam *utilis* . . . 4. quam *professioni nostrae consentanea* . . . 5. utrum *tale* vel *simile* aliquid nobis *Christus verbo* aut *exemplo* commendaverit? . . . (1) *REFL.* Inspicere quantum praestet *iuxta* hanc *Regulam* et *iudicium* et *actus* componere: quod si iam fecisse meminerimus, Deo gratias agemus; sin vero, dolebimus et veniam precabimur.

PVNCT. III. — *VOL.* Toto animi affectu eam *Regulam*, et quidquid perfectionis in ipsa elucere meditando deprehenderimus *amplecti* . . . *Proponere* insuper *numquam* fore, ut divino praesidio muniti hanc aliasque *Regulas* scienter *praetergredi* velimus . . .

(1) Nihil prohibet, quominus alia captiva sive plura sive pauciora, prout ferent adiuncta rei, temporis, ac personae, possit sibi quisque horum loco meditanda decernere.

Media demum *statuere*, quibus eidem *Regulae* firmius in posterum adhaereamus.

COL. Modo cum *Christo Domino*, modo cum *Virgine Matre*, modo etiam cum *S. P. N.* *Ignatio* colloquentes, imploremus Dei gratiam, ut per absolutam *Regularum* nostrarum *custodiam* quotidie magis Duci ac Praeceptori nostro *Iesu conformes* facti, aptiora quoque *divinae gloriae propagandae* ac *proximis iuvandis instrumenta* efficiamur.

MONITVM.

Haec meditari dixi Sapientiam, in his iustitiae mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiae, in his divitias salutis, in his copias meritorum. (Ex Div. Bernardo Serm. 41. in Cant.).

DEPRECATIO AVCTORIS

AD DEVM

PRO IMPETRANDO EXERCITIORVM SPIRITV.

Excita, Domine, et conserva in Societate tua spiritum Exercitiorum, cui Beatus Ignatius Fundator servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum Iesum Christum, etc.

THYRSVS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis Iesv

Cum librum cui titulus : **Praxis meditationum S. P. Ignatii Loyolae, quae est Appendix tertia ad Exercitia eiusdem S. P.** explanata, *a P. Ignatio Diertins Societatis nostrae Sacerdote conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognoverint, et in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostrâ subscriptas, et sigillo nostro munitas dedimus.*

Dat. Romae 6. Junii 1698.

Thyrsus Gonzalez.

IMPRIMATVR

Si videbitur Reverendiss. D. P. Magistro S. P. A. Romae die 10. Julii 1698.

Dominicus Pellizarius de Bellis Episc. Melficten. Vicesg.

IMPRIMATVR

Fr. Gregorius Sellari Magister et Socius Reverendiss. P. M. S. P. A.

REIMPRIMATVR

A. Piatti Archiep. Trapez. Vicesg.

REIMPRIMATVR

F. Angelus Vincentius Modena O. P. S. P. A. M. S.

INDEX

APPENDIX I.

QVAE COMPLECTITVR SEX ORDINES MEDITATIONVM ET LECTIONVM PRO EXERCITIIS OCTO DIERVM ET TRES ORDINES PRO EXERCITIIS TRIGINTA DIERVM

SEX ORDINES

PRO EXERCITIIS OCTO DIERVM

PRIMVS ORDO

SECVNDVS ORDO

TERTIVS ORDO

QVARTVS ORDO

QVINTVS ORDO

SEXTVS ORDO

(*) *Adverte illud* NOTANDVM de Electione, *quod errore Typographi positum est sub* LECT. *huius Diei, accipiendum esse veluti si extaret post* LECT. *quartae Diei proxime sequentis, quo pertinet.*

TRES ORDINES

PRO EXERCITIIS TRIGINTA DIERVM

PRIMVS ORDO

PRIMA HEBDOMADA

SECVNDA HEBDOMADA

TERTIA HEBDOMADA

QVARTA HEBDOMADA

SECVNDVS ORDO

PRIMA HEBDOMADA

SECVNDA HEBDOMADA

TERTIA HEBDOMADA

QVARTA HEBDOMADA

TERTIVS ORDO

PRIMA HEBDOMADA

SECVNDA HEBDOMADA

TERTIA HEBDOMADA

QVARTA HEBDOMADA

APPENDIX II.

IN QVA AGITVR DE MODO TRADENDI EXERCITIA EXTERNIS SECVNDVM TRES IPSORVM CLASSES

CLASSIS PRIMA

CLASSIS SECVNDA

CLASSIS TERTIA

APPENDIX III.

QVAE CONTINET PRAXIM MEDITATIONVM IN EXERCITIA SPIRITVALIA AD MENTEM S. P. IGNATII LOYOLAE

PRINCIPIVM SEV FVNDAMENTVM

PRIMAE HEBDOMADAE

SECVNDAE HEBDOMADAE

TERTIAE HEBDOMADAE

QVARTAE HEBDOMADAE

MEDITATIONES

DE AMORE SPIRITVALI

HABITA FACVLTATE

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
14	13	decernenda	decerpenda
16	13	Hebdomada. Lectiones etc.	Hebdomada. Lectiones etc.
18	16	Ex *Libro Exercitiorum*	Ex Libro Exercitiorum
19	9 23	idem	idem
20	8	idem	idem
20	26	Med. II.	Med. 2.
21	5	Ex *Directorio*	Ex Directorio
21	16	aliae	alia
21	28	Ex *Directorio*	Ex Directorio
22	3 26	idem	idem
23	14 33	idem	idem
24	11	idem	idem
24	13	ex eodem *Cap.* 7. 8. *etc.*	ex eodem *Cap* § 7. 8.
24	28	Ex *Directorio*	Ex Directorio
25	14 26	idem	idem
26	12	idem	idem
26	24	Ex *Direct.*	Ex Directorio
27	14 31	Ex *Directorio*	Ex Directorio
28	14 27	idem	idem
30	1	De transgressibus	De transgressoribus
30	14	NOTANDVM. Ab hac die *etc.*	*Illud* NOTANDVM *transferendum est ad* QVARTAM DIEM *post* LECT. *in eadem pagina.*
31	12	ad Ephes. Cap. IV.	ad Ephes. Cap. IV. 7.
33	15	Hebdomada. Lectiones etc.	Hebdomada. Lectiones etc.
37	23	decem ex secunda	*decem* ex secunda
38	19	Lib. I. Cap. XXXIII.	Lib. I. Cap. XXIII.
39	26	IESV CRISTI	IESV CHRISTI
45	15	primum	Primum
49	19	*notanda*	*Notanda*
58	18	*Hebd.* IV.	*post Hebd.* IV.
59	4	secundum etc.	secundum
59	17	Meditationem	Meditationes
63	3	precedenti	praecedenti
68	15	*Cap.* XXXVI.	*Cap.* XXXV.
68	26	Repetitio super	Repetitio altera

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
71	14	XXIX. XXX.	XXIX. et XXX.
73	14	*Cap.* XXXVII. § 9.	*Cap.* XXXVII. *a* § 9.
74	9	*novem* pro tertia,	*octo* pro tertia,
74	10 11	*triginta unum.*	*triginta.*
78	13	*Lib. Exerc. pag.* 245.	*Lib. Exerc. pag.* 254.
78	21	*Lib.* VII. *Cap.* II.	*Lib.* II. *Cap.* VII.
79	3	De imitatione	De Imitatione
80	9	Repetitio praecedenti etc.	Repetitio altera praecedenti etc.
84	3	*Hebd.* II. *Med.* 15.	*Hebd.* III. *Med.* 15.
88	15	De Imitatione Christi. *Cap.* XXII.	De Imitatione Christi. *Lib.* III. *Cap.* XXII.
94	27	Annot. XIII. XIX. et XX	Annot. XVIII. XIX. et XX.
97	7	*ut etiam praeparationi*	*aut etiam praeparationi*
101	lin. ult.	*occupari dignitatem etc.*	*aucupari dignitatem etc.*
107	lin. ult.	recte dirigerentur	recta dirigerentur.

PREZZO DEI DUE VOLUMI
L. 7. 50

